


V
B J
C



Historia urbium in Polonia

Gedanum.

(Prussia)

Informatio de iuribus terrarum Prussiae et Civitatis Gedanensis adversus novam telonii affectationem edita.

Gedani. 1637.

~~2421 Piano.~~

INFORMATIO
De
JURIBUS
Terrarum Prussiæ
&
Civitatis Gedanensis

adversus novam Telonij affectationem edita



GEDANI
Anno M. D C. XXXVII.


C. R. BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

IMmunitas Terrarum Prussiæ ab omni novo telonio, antiquissimi privilegii jure munita, [I.] & excussâ Crucigerorum tyrannide à D. Casimiro Rege Poloniæ, voluntariæ subjectionis atq; incorporationis conditionibus inserta, [II.] ab eodem quoq; Serenissimisq; Successoribus in vigore conservata, [III.] præsertim à D. Stephano Rege, post auctionem portorii Gedanensis, interveniente aliquot annorum Tractatu obtentam, Comitiali authoritate roborata, [IV.] postea à D. Sigismundo Tertio specialiter approbata, [V.] denique Sacræ Regiæ Majestatis, feliciter nunc regnantis, solenni Diplomate confirmata, [VI.] ac novissimis Induciarum pactis, post bellicas vectigalium exactiones, in pristinum statum reducta, [VII.] ideoq; rursus literis Reversalibus renovata, [IIX.] nunc demum Spiringiorum temeritate in dubium vocata, [IX.] & sub prætextu novæ Constitutionis ipso facto impugnata, [X.] necessariò requirit, ut repetitis jurium libertatumq; fundamentis, commemoratâ rerum serie, ipsisq; documentorum formulis adjunctis, dissensus declarati rationes publicè explicentur, [XI.] & adversus novam telonii nautici affectationem justa desideria, in Veritatis atq; Innocentiæ subsidium [XII.] universim cognoscantur.

I. JAm inde ab initio regiminis Crucigerorum in Prussiâ absolutam ab omni penitus telonei exactione libertatem subditis istius Ordinis concessam fuisse, Privilegium Culmense primarium testatur, ab HERMANNO DE SALCZA, Magistro Generali, & HERMANNO BALKONE, ejusdem Ordinis in Prussiâ Provisore, ac primo ejusdem Terræ Commendatore, A.° 1233. datum, & ab EBERHARDO de SEYNE, Vicesgerente Magistri Generalis, Anno 1251. renovatum. [A.] Cujus privilegii usum, auctis Ordinis viribus & limitibus, in universa Prussiâ invaluisse, indeq; alia omnia originem traxisse, extra controversiam est: & subsequentium temporum monumenta, Inscriptiones, Actaq; publica, Juri libertatiq; Culmensi, ceu fundamento suo semper innixa; adeoq; inveteratæ consuetudinis vigore continuatam possessionem ad posteros legitimè devolutam esse constat. Etsi verò regimine paulatim in deterius vergente, & crescente subinde dominandi licentiâ, juribus subditorum adversâ, Status Terrarum Prussiæ, irrepentes quandoque difficultates & gravamina pro rerum hominumq; vicissitudine experirentur: attamen libertati pristinæ constantissimè insistentes, ad evitandam salutis suæ & publicæ utilitatis jacturam, partiq; juris integritatem retinendam, nihil reliqvum fecêre. Inprimis etiam immunitatem vectigalium, immemorialis temporis spatio illæsam, & exactione quadam maritimâ, Pfundzoll dictâ, à Crucigeris violatam, non ipsi tantùm, de antiquo jure periclitantes, omni conatu & studio defendendam suscepêrunt: sed etiam confœderatæ Civitates Hanseaticæ

Lit: A.

ticæ, de communi commerciorum præjudicio sollicitæ, progressum ejus rei interventu suo meritò impediverunt; & transmarini finitimq; Principes eandem ad se subditosq; suos injuriam pertinere rati, insolita novarum exactionum onera subire noluerunt. Nec defuerunt Serenissimorum Poloniæ Regum & incolarum Regni contradictiones, & in Pacificationibus publicis de conservandâ mercatorum consuetâ libertate tractationes; quarum non obscura pluribus in locis indicia deprehenduntur. Etsi enim Civitatibus Prussiæ olim quoque certum portorii jus competeret, & in Gedanensi Civitate ejus pecuniæ solutionem nemo detrectaret, quam ab omnibus & singulis mercatoribus ac negotiatoribus, undecunq; in portum Gedanensem cum navibus & mercibus cujuscunq; generis applicantibus, & de rebus per hunc portum quocunque mittendis, pro restauratione & conservatione ejusdem portus sui, sub vulgari vocabulo **Pfalgeldt** / à palis ad structuras aquaticas figendis denominato, antiquitùs exigere & sublevare consuevit; prout non solum ex iteratâ concessione D. Sigismundi I. ipsisq; portorii pactis, cum D. Stephano Rege initis; sed etiam ex quadam controversiâ inter Civitatem Elbingensem & Gedanensem Aõ 1341. sopitâ liquidò apparet: [B.] cum tamen præter istos ordinarios & tolerabiles Civitatum proventus, duos scilicet denarios de qualibet marcâ Prutenicâ non excedentes, captatâ lucri occasione, aliam exactionis speciem inusitato more Crucigeri sibi arrogarent, **Pfundzoll** / id est, librale Lit. B.

brale

brale vectigal appellatam, eò quod de qualibet librâ Flamingicali (quæ numerandæ & computandæ pecuniæ ratio etiamnum in usu est, & septem florenis grossisq; tredecim monetæ Polonicæ æquivalet) aliquot denarii dependendi essent; novis hisce & noxiis eorum conatibus omnes obstitère, qui vel ex Privilegii præscripto vel ex vetustâ consuetudine jus quæsitum allegantes, publicam commerciorum libertatem asserendi, & ingens rei mercatoriæ dispendium evitandi æquissimo desiderio ferebantur; & restitutam vectigalis istius immunitatem aliquoties obtinuère: quin imò ingravescentibus malis & promissorum fide sæpius violatâ, pro tuendis juribus & propulsandis violentiis, Año 1440. Status & Ordines Terrarum Prussiæ, testantibus Sponsionis suæ reciprocæ, sive deditionis voluntariæ literis, D. Casimiro Regi postea datis, Ligam & Vnionem, omnem justitiam æquitatemq; redolentem, non quæ justam potestatem Dominis adimiret, sed quæ injusta illos bella suscipere, & in subditos, absque jure, denudato vacuo uti mucrone, eosq; fortunis & rebus spoliare suis prohiberet, iniverunt, maritimiq; telonii abolitionem à Magistro PAULO de RUSDORFF denuò impetrarunt. Quo è vivis sublato cum successor ejus LUDOVICUS ab ERLICHSHAUSEN, affectati vectigalis quæstum severiùs repetens, illo se necessitatis intuitu carere aut dignitatem salvam retinere sine eo nullâ ratione posse diceret, ac tùm jura superioritatis, tùm exempla aliorum Principum variasq; prætensiones opponendo, & incolis Prussiæ fuca-

tam exemtionem promittendo, inq; extraneos solos futurum onus transferendo, nihil prorsus intentatum relinqueret; exactionis injuriam cum aliis gravaminibus tantisper tolerarunt, donec læsâ tandem patientiâ ad excutiendum tyrannicum jugum consilia animosq; converterent.

POstquam enim D. Rex CASIMIRUS, Jagellonis filius, (uti in Privilegio Incorporationis fatetur) Prælatorum, Spiritualium & Sæcularium & universæ Communitatis Terrarum Prussiæ crebris precibus & legationibus fuisset rogatus, quatenus ipsos in eorum juribus, libertatibus, immunitatibus & privilegiis; & signanter in Vnione & Liga, per ipsos ritè & sincerè initâ & conditâ, ad cujus enervationem & violationem Magister & Ordo variis viis, coloribus & violentiis usus est, manutenere & defensare dignaretur: Is tamen nullum eorum calamitati præstandum censuit suffragium, sed parti utrique reconciliationi persuasit esse insistendum, ne alere oriens incendium videretur. Verum cum temporis processu differentia partium adeò crescendo invalesceret, ut Prælati, Spirituales, & Sæculares, Terrigenæ & Cives Terrarum prædictarum, spe extremâ destituti, & injuriarum magnitudine pressi, violentis Dominis, jura & privilegia atque II.

immu-

immunitates eorum pro libitu frangentibus, nullatenus sibi de cætero parendum duxerint; sed legibus divinis & humanis innixi, quæ injustis Dominis, scelus & nefas agentibus, nullatenus parendum decernunt, obedientiâ & subjectione Magistro & Ordini subtractâ, eundem Serenissimum Poloniæ Regem per Ambasiatores & Nuncios suos, cum pleno mandato & legatione missos, novis precibus & legationibus sollicitarint, quatenus non jam tantum eorum defensioni, quantum gubernationi & regimini insisteret, deditionemq; eorum, subjectionem, fidelitatem & perpetuam obedientiam susciperet: pluribus evidentibus legitimisq; respectibus persuasus, admonitus & inductus, communicato cum Prælatis, Principibus, Baronibus, cæterisq; Regnorum, Ducatuum & Dominiorum suorum consilio, ac de eorum expressâ voluntate, approbatione, gratificatione, & consensu, præfatorum Prælatorum, Spiritualium & Sæcularium, Militarium, Civium, Terrigenarum & omnium incolarum Terrarum Prussiæ, Culmensis, Kynsbergensis, Elbingensis & Pomeraniæ, in terrâ mariq; sitarum, benevolam & spontaneam deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem, obedientiam assumsit & acce-

ptavit

ptavit, & ad usum, participationem omnium honorum, jurium, libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ hactenus potiti sunt, admissis, annexis & inclusis promisit, pro Se, Hæredibus & Successoribus suis, quod incolas Terrarum Prussiæ in juribus, libertatibus, literis, privilegiis, immunitatibus eorum, conservaturi & defensuri, nec unquam ea violaturi aut prævaricaturi, aut violari vel prævaricari quomodolibet permissuri essent: nominatim insuper, injuriâ] exactæ Daciæ, Pfundzoll/ inter mutati regiminis causas relatâ, ut in mutatione Principum commutatam etiam & sublatam deprehenderent oppressionem, Daciam, Pfundzoll dictam, aliaque omnia telonea, in aquis & terrâ, in Terris Prussiæ constituta, in perpetuum sustulit, abrogavit, & deposuit, nullo unquam tempore, per Se aut Successores suos, Poloniæ Reges, ex quacunque causâ aut occasione instituenda & imponenda: denique mercatoribus Prussiæ hanc libertatem & prærogativam in ipsâ Poloniâ conservari voluit, ut in quæcunque loca, Civitates & oppida Regni, Ducatuum, & Dominiorum annexorum, merces suas licitè invehere, deponere, ac pro arbitrio divendere, nec non in vicinas ditiones extra Regnum solitis stratis evehere queant; quo casu demùm finitimi antiqui telonei reservatio adjecta

 est. [C.]

Lit. C. eſt. [C.] Idem planè ex ſponſione reciprocâ, ſeu literis Reverſalibus Ordinum Pruſſiæ, perſpicuum evadit, quibus ſe tot tantisque oppreſſionibus, oneribus, gravaminibus atque injuriis laceſſitos, ſuperbo, avaro & injuſto Magiſtri & Ordinis dominio, authoritate & ſuffragio naturalis & humanæ legum, renunciaſſe, & poſtquam ſui juris eſſe cœperant, non ſolùm vendicationem libertatis, ſed juſtum principatum, imperium & ſolium quæſiviſſe ſignificant, ac pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, perpetuam fidem & obedientiam Sereniſſimis Poloniæ Regibus promittunt, JURIBUS SUIS

Lit. D. SEMPER SALVIS. [D.] Eâ igitur conditione Terris Pruſſiæ ſub regimine Sereniſſimorum Regum, & Regni Poloniæ corpore conſiſtentibus, uti nihil clarius, nihil ſalubrius ad priſtini ſtatus conſervationem, & omnimodam vectigalium libertatem dici ſtatuivè potuit; ita nihil gravius, nihil pernicioſius, & à Majorum inſtituto alienius fore manifeſtum eſt, quàm apertiſſimis pactionum verbis contrariam telonei marini exactionem, ſolâ denominationis diverſitate & quantitatis augmento diſſimilem, tanquam novarum calamitatum fomitem, poſt bina fermè ſæcula in Terras Pruſſiæ revocare.

III. NVnquam certè Divus CASIMIRUS, quamvis in graviſſimis bellorum motibus, quamvis in ſummis Reipublicæ neceſſitatibus, poſt abrogatas exactio-

actionum iniquitates, à propositâ immunitatis perseverantiâ deflexit, nunquam fidelitatis & meritorum memoriam ita seposuit, ut juribus & libertatibus à Se confirmatis quæsito aliquo colore vim & præjudicium inferri pateretur: quin potius, cum æternâ Nominis sui laude, laudes fidelium subditorum literarum monumentis commendavit, & gratiæ Regiæ testimonio beneficiisq; perennibus & privilegiorum accessionibus ornavit, eorumq; salutem & commoda augenda & amplificanda statuit. Unde nimirum orta sunt tot præclara elogia, sinceræ fidei, promtissimiq; seruitiorum studii, luculenter & egregiè, in bellorum periculis, ope & opibus, constanti virtute & assistentiâ continuâ, immensis sumtibus & pecuniarum impensis, pro honore & utilitate Regiâ, ad recuperandas Prussiæ Terras collati, Privilegiis amplissimis, Civitati Gedanensi Anno 1454. & sequenti, binisq; aliis A.° 1457. datis consignata, ut beneficia beneficiis compensata alios ad exempli similitudinem allicerent & inflammarent. Atque ut omissis reliquis ea tantùm, quæ in rem præsentem faciunt, hîc recenseantur, ex posterioribus alterum, de certa scientiâ, expressâ voluntate & unanimi approbatione omnium Consiliariorum, tàm Regni Poloniæ, quàm Terrarum Prussiæ, immunitatis vectigalium conservandæ cautionem peculiarem Civitati addidit, quod nulla nova telonea vel gravamina, neque in Vistulâ neque in terrâ, temporibus quibuslibet futuris constitui, eiq; imponi debeant, quemadmodum literæ Originales & primaria Inscriptio Cracoviæ Terris

& Civitatibus Prussiæ concessa & data continet & exprimit [E.]. Ubi sanè nequicquam attinet, verum rei sensum argutâ interpretatione eludere, quasi ad mare extendendum non sit, quod de Vistulâ ac Terrâ disponitur: siquidem claris verbis privilegium hoc sese refert ad primarium Incorporationis privilegium, quo intra Prussiam omnia telonea in Terrâ & Aquis, adeoq; & mari, aquarum præcipuâ, perpetuò prohibita sunt, & nominetenus librale vectigal sublatum legitur, quod ipsum marinum fuisse, sive mercibus mari invectis evectisq; impositum, nemo negaverit: extra Prussiam personalis mercatorum Prussiæ prærogativa reservata; adeoq; utrovis modo debitæ immunitati prospectum est. Quanquam vel ideò maris mentionem fieri superfluum æquè ac inconveniens videri potuit, quod nusquam usu receptum vel exemplis comprobatum sit, Principem ullum, ullamve Rempublicam, in dominiis & ditionibus propriis jure suo utentem, in ipso mari collocatâ classe navali magnis impensis vectigalia legitima exercuisse, nec nisi ab hostili impetu tale impedimentum liberæ navigationi injectum iri verisimile fuerit: seu quod non tàm locorum differentias attendi, ubi omnia loca teloniis vacua esse debent, quàm ipso exactionis onere abstineri oporteat, ubi novum onus salvâ libertate sustineri non potest. Deinde cum inter D. CASIMIRUM Regem & supradictum Magistrum Ordinis, LUDOVICUM AB ERLICHSHAUSEN, Anno 1466. rursum de Pace perpetuâ transactum esset, cujus vigore Magister & Ordo Terris Pomeraniæ, Culmensi & Michaloviensi, & illarum juri, propri-

Lit. E.

proprietati, titulo & dominio, ſibi & Ordini in illis competenti, pro Se, Succeſſoribus & Ordine ſuis, renunciatione & ceſſione perpetuâ & irrevocabili ſe abdicare tenebatur, ſponſione mutuâ ſtatutum eſt, nulla telonea nova utrinque imponenda fore aut imponi permittenda, tàm in Terris quàm in in aquis; ſed tantummodò utendum impoſitis [F.] Idq́ue iterum in privilegio Caſimiriano, Anno 1476. repetitum extat, cujus vigore unum Jus Culmenſe, quo diſtrictus Culmenſis gaudet & fruitur, diſtrictibus itidem Pomeraniæ, Mariæburgenſi & Pomeſaniæ confertur ac confirmatur, & libertas ab omnibus oneribus ac Daciis inconſuetis, quibuscunque appellentur nominibus, Terris Pruſſiæ conſervatur [G.] Similem fortunam apud Sereniſſimos Succeſſores, JOANNEM ALBERTUM, ALEXANDRUM & SIGISMUNDUM experta eſt Pruſſia: qui Genitoris ſui veſtigiis inhærentes, non tantum Regiorum Diplomatum ſolennitate Jura, Privilegia, libertates & prærogativas Terrarum Pruſſiæ, ac omnia & ſingula in ipſis contenta, ratificarunt, approbarunt & confirmarunt; ſed etiam reipſa illiciti vectigalis exactionem in Pruſſiâ nullam admiſerunt: usque adeò, ut in pacificatione Cracovienſi inter Sereniſſimum SIGISMUNDUM I. Regem Poloniæ & Illuſtriſſimum Principem ALBERTUM, Marchionem Brandeburgenſem, Ducem Pruſſiæ, Anno 1525. expreſſum ſit, quod nulla telonea in Terris Pruſſiæ, contra antiquam conſuetudinem & privilegia, ab ullâ partium inſtitui, & ſi quæ inſtituta eſſent, ea

Lit. F.

Lit. G.

hinc inde abrogari deberent: eumq; articulum, cum aliis omnibus ac singulis, D. Rex SIGISMUNDUS I. pro Se & Successoribus suis, Regibus Poloniæ, sub fide boni ac legalis & ingenui Principis observare, nec quoquo modo contravenire, de jure vel de facto, directè & indirectè, omni dolo & fraude penitus seclusis, promiserit. [H.] Quo verò animo D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS eâ in re affectus fuerit, tot Rescriptis Regiis, Decreto & literis universalibus, partim latinè, partim polonicè pluriès editis, satis demonstravit, quarum tenore, cum Cives Gedanenses, in Regno mercaturæ faciendæ deditos, nullis, nisi cum extra Regni fines merces suas provehunt, vectigalium præstationibus teneri innotuisset: ne quid inductis contrariis moribus antiquæ libertati commerciorum, quibus Regna & Dominia plurimum augeri solent, decedat; neve illicitis vectigalium exactionibus jura & privilegia, à Divis Antecessoribus suis Terris & incolis Prussiæ concessa, â quoquam violentur, prospicere voluit; eaque omnia firma & perpetuò inviolata esse jussit, (veluti Anno 1567. 1569. 1570. testatum fecit) omni penitus licentiâ Præfectorum teloneorum, vel ipsorum vices gerentium, in contrarium ademtâ, omnibusq; indultis, veteri pendendorum vectigalium consuetudini adversantibus, abrogatis: adeò

Lit. H.

adeò ut Anno 1572. vix quinque ante obitum suum mensibus severè id rursum ediceret, & literas quascunque, contra libertates, jura & Decretum latum, quandocunque impetratas vel impetrandas, nullas atque irritas declararet. [I.] Lit. I.
Quod etsi eas vectigalium præstationes concernere videatur, quibus Cives in ipso Regno mercaturam exercentes, contra veterem morem à teloneatoribus se gravari questi sunt; ex eodem tamen jurium & libertatis fonte cuncta illa promanârunt: cumque extra Prussiam mercatoribus illius, per Poloniam negotiantibus, nova telonea imponi non debuerint, majorem utique in Terris Prussiæ immunitatum rationem habere necesse fuit, utpote in quibus nullus teloneis quibusvis per privilevia locus esse potuit. Neque sanè diversam istis temporibus marinæ exactionis conditionem fuisse, vel præter portoria Civitatum, antiquitus usitata, ex parte Regiâ in portubus maris aliquid exactum esse, argumento ullo vel conjecturâ assequi licet. Quippe cum instinctu adversariorum quorundam Commissarii Regii in Civitates Prussiæ destinati essent, quorum actionibus & Constitutionibus status earundem non leviter turbatus fuerat, (de quibus integrè sublatis & abolitis paulò post dicendi locus erit) iique suis persuasionibus (nihil enim illos authoritate Commissoriali de novo Maris vectigali introducendo sanxisse palàm est) Ordines Civitatis Gedanensis, diu multumq; reluctantes, induxissent, ut ad placandum offensi Regis animum, mitem reverà ac naturâ placidum, sed invidorum odiis & delationibus, ut fieri assolet, adver-

sus fi-

ſus fideles ſubditos accenſum, portorii ſui ſoliti ſive pfalgeldi auctioni, in uſum Regis Auguſti pacto perſonali conferendæ, certis conditionibus adjectis, cumprimis de reſervatione & redintegratione jurium & conſuetudinum antiquarum, de liberatione à gravaminibus iſtius Commiſſionis & reliquis difficultatibus exortis, conſenſum tandem ſuum præberent: attamen res hæc effectu prorſus caruit, & neque hujus Regis, ante cauſæ exitum morte præventi, neque Succeſſoris HENRICI tempore quicquam de more priſtino & conſuetæ libertatis poſſeſſione remiſſum aut immutatum fuit.

IV. ITaque Regni gubernacula capeſſente D. STEPHANO, & Tractatu portorii augendi reaſſumpto, atque ad annum usque 1584. continuato, & ad concordiam perducto, iis tandem pactis de toto negotio & annexis capitibus utrinque conventum & transactum eſt, quæ Reſponſo internunciis Gedanenſibus Grodnæ tradito, & manu Sigilloq; Regiis firmato, in formâ Privilegii, inſerta reperiuntur: hac cautelâ additâ, quod ſi ratihabitio Comitialis in proximo Regni Conventu non acceſſerit, utraque pars ad totam Transactionis formulam obligata amplius non eſſe, ſed exactio aucti portorii ipſo facto ceſſare, uec ulterius procedere

Lit. K. debeat [K.] Verum eventus promiſſis non defuit: ſiquidem D. Rex STEPHANUS, quod authoritate ſuâ & motu proprio ſe effecturum receperat, Warſaviæ in Comitiis anni ſequentis 1585. omninò perfecit; & auditis die 20. Februarii DD. Senatorum ſententiis, ſuæque voluntatis clementiſſimâ declaratione adjectâ, nonnul-

nonnullis ex Ordine Senatorio deputatis Commissariis, nimirum Ill.mis Rev.mis Illust. & Magnif. Dominis, Dn. Archiepiscopo Gnesnensi, Dn. Episcopo Plocensi, Dn. Palatino Plocensi, Dn. Palatino Culmensi, Dn. Castellano Brzestensi & Dn. Castellano Culmensi, rei ulterius examinandæ negotium dedit: quorum congressu die 24. Februarij subsecuto, & omnibus pactorum articulis accuratè expensis, demum die 26. Februarii, in consessu Comitiali, Originales privilegii literas, prout antè conscriptum erat, nullâ voce aut syllabâ mutatâ, in solennissimâ formâ, Sigillo majore Majestatis, ut vocant, munitas, quod non nisi in arduis & magni momenti negotiis adhiberi solet, per manus Ill.mi Dñi. Regni Cancellarii, Gedanensium Oratoribus publicè tradi jussit: de quo non solùm Annales Civitatis referunt; sed & Majoris Cancellariæ Acta, rei gestæ præfationem continentia, abundè fidem faciunt. [L.] Quibus quidem literis, Lit. L. post multiplicem ac diuturnam tractationem, tandem Civitatis Gedanensis Ordines dicti portorii sui binummalem auctionem, hoc est, de singulis marcis Prutenicis binos nummos, seu denarios, adeoque de centum florenis Polonicis, sive mercibus valorem istum æquantibus, sedecim grossos cum duobus solidis, Serenissimo Regi STEPHANO, & Successoribus ejus, Regibus Poloniæ coronatis, consensisse: vicissim Serenissimorum Regum nomine, habitâ super hoc deliberatione cum Consiliariis Regni & nominatim Terrarum Prussiæ, Civitati & ejus Ordinibus, tàm de propositis augendi portorii conditionibus, quàm de tollendis gravaminibus certo modo cautum prospectumq́;

& inter alia constitutum esse liquet: quod isthæc auctio portorii Civitatis Gedanensis juribus, privilegiis, libertatibus, antehac habitis & possessis, nullâ ratione, nullo unquam tempore nocere, obesse, derogare, vel præjudicare nec possit, nec debeat: ut portorium id exigant more institutoq; pristino Civitatis tres Consules & duo Scribæ, à Senatu eligendi: ut æstimatio exigendi de mercibus portorii, pro valoris conditione, penes Senatum permaneat: ut supra binummalem auctionem portorium, vel ex Regiâ vel ex Civitatis parte, nullâ ratione amplius augeatur: ut in loco consueto intra Civitatem, & non alibi, portorium conjunctim percipiatur, & ibidem rationes nautarum & mercatorum, de navibus, bonis & mercibus illorum, ineantur & conferantur: & generaliter, ut omnis hæc percipiendi portorii ratio nunquam inposterum mutetur vel innovetur: ut nihil de Commissione præteritâ quæstionis vel controversiæ relinquatur; sed Civitas in jure & statu suo, quo antea fuerat, deinceps etiam permaneat, nec vi istarum actionum & Constitutionum Commissorialium quicquam de statu Civitatis immutetur, ac proinde omnes ejus Ordines & Cives realiter & effectualiter ab isthac totâ

Commis-

Commiſſione, & omnibus ejus attinentiis & gravaminibus, liberi exiſtant: ut omnia & ſingula rata firma ac perpetuò conſerventur, nec Sereniſſimi Reges adverſus ea, in Civitatis Gedanenſis præjudicium aut detrimentum, quicquam faciant vel fieri patiantur. [M.] Lit. M. Fruſtra ergò laborant, qui pacta iſta Portorii, tanquam privata, & authoritate publicâ deſtituta, paſſim jactare, iisq́ue vim omnem & validitatem adimere nituntur: acſi privatos tantùm ſucceſſores, non Reges Poloniæ obligare, nedum Conſtitutiones Commiſſariorum anteriores tollere potuerint. Namque eædem Conſtitutiones, quæ nullam planè telonei marini mentionem faciunt; etiamſi de conſilio & conſenſu Conſiliariorum Regni in Comitiis anni 1570. approbatæ & confirmatæ dicantur, quia tamen ad effectum nunquam deductæ ſunt; quin & arbitrio ac beneplacito Sereniſſimorum Poloniæ Regum, cum expreſsâ facultate mutandi & tollendi, plenè reſervatæ, prout idipſum expedire, tempusvé & occaſio requirere videretur; cum per jura Civitatis ſubſiſtere non poſſent, magnaq́; temporum perturbatio varietasq́ue ſubſecuta eſſet, quò minus itidem in Comitiis Anno 1585. conſilio & conſenſu Conſiliariorum Regni & Terrarum Pruſſiæ in omnibus accedente, ipſoq́; Regni Primate, qui infauſtæ Commiſſionis Præſes antea fuerat, adſtipulante, rite & legitimè ſublatæ & abrogatæ fuerint; aut cur minus roboris poſterioribus pactis, deliberato animo, per multa temporum intervalla, accurato examine prævio, tàm ſolenniter editis

tis, continuoq; usu receptis, quàm aliis Actibus Comitialibus, eodem tempore expeditis, tribuendum sit? nulla probabilis ratio afferri potest: nisi quis in contemtum potestatis Regiæ, supremam in conservandis & restaurandis juribus authoritatem verbosis disputationibus involvere & supprimere; Senatorum Regni ignorantiam vel imprudentiam falsò arguere; Cancellariorum negligentiam, vel aliquid gravius, temerè accusare; & quæ de coronatis Poloniæ Regibus publicè acta & transacta sunt, in privatos hæredes, ad quos publicarum rerum tractationes & successiones non pertinent, perperam transferre; denique Acta universa & observantiam superiorum temporum, pactis portorii, ceu fundamento solido innixam, pacificamq; possessionem, Annis quinquaginta tribus extra controversiam positam, audacter violare & infringere in animum inducat.

V. Alia longè mens fuit gloriosissimi Regis SIGISMUNDI Tertii, felicissimæ recordationis, qui non modò solenni Diplomate jura & privilegia Terrarum Civitatumq; Prussiæ, exemplo Antecessorum suorum, confirmavit: sed speciali prætera cautione literas Tractatus & Transactionis D. STEPHANI Regis, ratione binummalis auctionis portorii, pro Se & Successoribus suis, Regibus Poloniæ coronatis, in Comitiis Regni generalibus conclusæ, in omnibus punctis, clausulis, articulis, modis & conditionibus, Cracoviæ Anno 1588. appenso itidem Majestatis Sigillo, approbavit & ratificavit. [N.] Quanquam autem intra quinquennium proximum ad exsolvenda debita D.

Lit. N.

SIGISMUNDI AUGUSTI, Avunculi sui, in Civitate Gedanensi potissimùm, tam ex publico ærario, quam privatorum facultatibus, in usus Reipublicæ contracta, exactionem quandam mercibus hinc inde avectis imponi desideraret, eoq; nomine Civitatis ipsius consensum benignè requireret: nihilominus ab Ordinibus Civitatis Gedanensis; ut maximè solutionem debitorum æquissimo jure flagitantibus, conquirendæ tamen pecuniæ modum nimis gravem & periculosum ostendentibus; acceptâ pleniore informatione, tantum abest, ut liquidi juris usum invitis adimi permiserit, ut summâ potius animi moderatione, cum novas rursum Anno 1615. eâ de re deliberationes suscipiendas censeret, sine consensu eorum, qui Portus aliquos habent, nihil certi statui ac determinari posse fassus sit, sententiamq; Civitatis Gedanensis, post Tractatum cum Serenissimo Electore & Illustrissimis Curlandiæ Ducibus institutum, eo in negotio sibi aperiri per Nuncium suum postulaverit. [O.] Quæ ubi rationibus dissensus sui scripto Responso humilimè expositis, speratæ utilitatis nebulam removendo, veterum pactorum consvetudinem, commerciorum commoda & incommoda, vicinorum Principum & Civitatum odia, deniq; perpetuam & immutabilem portorij condititionem allegaret: [P.] facilè Sapientissimus Rex desideriis iustis annuit, nec quicquam ulterius innovandum exstimavit. Lit. O. Lit. P.

VI.

IN hoc rerum statu, post Divi Progenitoris obitum, Sacræ Regiæ Majestati, Domino nostro clementissi-

mo, Regale Sceptrum liberis suffragiis delatum est. Quæ cum peractâ felici Coronatione in Comitiis Cracoviensibus Anno 1633, ob singularem fidei constantiam, integritatem, sinceritatemq;, & præclara benè merendi studia; in virtutis & meritorum compensationem, Civitatis Gedanensis ornamenta & incrementa clementer promovere vellet, præter generalem Juriū Confirmationem solenniter promulgatam, seorsim quoq; omnia ac singula illius jura, privilegia, indulta, libertates, prærogativas, immunitates & receptas consvetudines, nominatim etiam Tractatum Portorii, sive Conventionem, cum Serenissimo olim Stephano Rege Portorii ratione initam, confirmare, ratificare, approbare & renovare dignata, eaq; perpetuæ, veræ, indubiæ & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere, sub juramento Regio, in prædictâ felici Coronatione corporaliter præstito, sanctè pollicita est: nec contrariis Rescriptis, quandocunque impetratis vel impetrandis, iisdem directè vel indirectè derogari posse statuit: quæ pro injustis, illegitimis ac nullis semper haberi, neq; vim ullam vel validitatem iis attribui voluit, & Confirmationis istius authoritate definivit. [Q.] Quâ uti nihil certius, nihil solidius, nihil gratius à clementissimo Principe obtineri potuit; ita nihil in rebus humanis sanctius custodire, nihil accuratius observare, nihil efficacius requirere fideles subditos decet.

Lit. Q.

In

VII.

INtervenère poſtmodùm pacta Regnorum Poloniæ & Sveciæ, de Induciis vigintiſexennalibus publica, quibus ad tollendas in Terris Pruſsiæ exactiones, belli injuriâ introductas, & recuperandum liberi commercii uſum, remedium allatum eſt, ac diſertè cautum, ut vectigalia in eum reducantur ſtatum, & in illud jus, in quo erant antè hoc bellum: ut commercia priſtina inter utrumq; Regnum & Provincias ſubjectas reſtituantur, & in veteri exercitio conſerventur, ab omnibus novitatibus vindicata: ut pro majori ſecuritate, & ne quicquam hisce pactis contrarium à quopiam committatur, Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ de impediendâ ac præveniendâ quacunque hoſtilitate fidejubeant: ut Dux in Pruſſia, Dux Curlandiæ & ex Statibus Pruſſiæ Regalis Civitates Majores caveant, ſe nihil hoſtile ex portubus ſuis, adverſus Regnum Sveciæ, directè vel indirectè, permiſſuros. [R.] Quod ipſum traditione literarum Reverſalium, urgentibus Ill^mis. DD. Commisſariis utriusque Partis, juxta formulam exhibitam conſcriptarum, plenum effectum obtinuit. [S.] Unde Civitatibus Pruſſiæ, ut cautioni præſtitæ bonâ fide ſatisfaciant, neceſſitatem impoſitam esſe liquet, ne eo ſtatu & jure, quo ante bellum utebantur, in deterius commutato (quod ante expirationem Induciarum ne quidem cum juris proprii renunciatione fieri poſſe ſentiunt) in nova onera ac telonea,

Lit. R.

Lit. S.

lonea, prioribus non dissimilia, imò perpetuitatis respectu graviora, consentiant: sed quicquid contra tenorem pactorum à quopiam committi vident, quod in hostilitatis speciem cadere potest, directè vel indirectè, omni ratione & curâ præcavere, atq; indemnitati & quieti Patriæ consulendo, almæ Pacis fructum, vix dum delibatum, constanter & inconcussè retinere studeant. Quâ de re primarius Regni Sveciæ ad Tractatus præteritos Commissarius, communi nomine, Civitatem Gedanensem ante biennium per literas monuit, ne novis difficultatibus Regna iuvolverentur. [T.]

Lit. T.

IIX. NEmo præterea aliam esse pactorum mentem sibi persvadere potuit, cum non solùm Domini Legati Mediatores haud obscurè idem affirmarent, & futuris incommodis declinandis prudenter occurrendum arbitrarentur: sed ipsa quoque Sac. Reg. Majestas, Dominus noster clementissimus, sub initium anni proximè elapsi Gedani subsistens, apertè significaret; quòd iidem externorum Principum Domini Legati id sibi caverint, ne ex portu Gedanensi ad antiquam exactionem triginta & trium grossorum, cum solido uno, à centum florenis, nova viginti sex grossorum, cum duobus solidis (quæ conjunctim duos de centenis florenos, vigore specialium pactorum tempore Induciarum conficiebat) perciperetur: Ideoque eâ exactione, restitutâ jam tranquillitate, supersederi, & nihil amplius, excepto duntaxat, quod ab antiquo ante bellum Prutenicum in Portorio exigebatur, tàm à civibus quàm externis mercatoribus & nautis exigi

seri

seriò mandaret: qvod qvidem jam antea ad pactorum normam reapse erat accommodatum. Interim licet S. Reg. Majestas, cessante exactione Svecicâ, in Portubus Prussiæ vectigal aliqvod maritimum ad biennium saltem affectaret, atqve hoc institutum suum, tanqvam à publico Bono ac necessitate profectum, Gedani per Edictum publicari desideraret: qvòd pacis & tranquillitatis causâ, ad avertenda damna & incommoda, quæ ex belli renovatione & proseqvutione circa Mare Balthicum provenire & resurgere, ac inposterum augeri potuissent, in eas conditiones descendisset, qvæ aliàs Statui, Dignitati rebusque suis graves essent: eamque ob rem in vicem gratæ erga Se testificationis & remunerationis alicujus loco telonium moderatum (cujus etiam respectu ad tot annorum Inducias, rejectâ suâ per idem tempus hæreditarii Regni prætensione, faciliùs processerit) Se accepturam, temporumque ac bellorum iniquitate gravia introducta telonia, & interrupta cum cæteris Regnis ac Rebuspublicis commercia, & liberas hinc inde navigationes, in antiqvum statum paulatim restituturam eodem Edicto declararet: attamen hæc non minus speciosè commendata, qvàm severè imperata exactio (utut temporaria, extraordinaria, & ex bello quasi nata, juri perpetuo, ordinario, & solo gratitudinis nomine aliquantùm suspenso, nil derogatura, sed cautionibus adhibitis primævam liberta-

D tem

tem brevi reductura videretur) non potuit recens partæ Pacis primitias non præter ſpem acerbiores reddere: adeoq́ue attentis rerum circumſtantiis, jurium præjudiciis, commerciorum damnis, ſecuritatis periculis, variisq́ue negotii difficultatibus, ad clementiam S. Reg. Majeſtatis confugientibus Ordinibus Civitatis Gedanenſis, humilimè ſupplicandi, & ſingulari fiduciâ victorioſum Regem, ſed pacificum; felicem, ſed moderatum; potentem, ſed benignum; per Deputa-
Lit. V. tos ſuos compellandi cauſam præbuit: [V.] usque dum poſt aliquot dierum tractationes, quibus jura & privilegia publicè cognita, nullatenus in dubium vocata ſunt; ſed ex bellorum reliqviis & durationis termino neceſſariæ excuſationis occaſione, depromtâ, quovis gratificandi obſequio tanti beneficii magnitudinem potius æſtimandam, quàm nimis ſcrupuloſâ libertatis allegatione indignationem Benefactoris incurrendam eſſe, replicatum fuit; (quâ de re Illuſtriſſimorum Dominorum Senatorum & Commiſſariorum ejus temporis memoriam & conſcientiam, DEO teſte, appellare licet.) eò tandem perventum eſt, ut S. Reg. Majeſtas, alio gratitudinis genere contenta, precibus ac deſideriis æquiſſimis annuendo, jura & privilegia quævis integra & illæſa permanere juſſerit: Ordinibusq́ue præfatis, etiam ſupra vires ex calamitoſo bello reliquas, obſequentiſſimi affectus promtitudinem conteſtari paratis; & grandem pecuniæ ſummam, qualem hîc nunquam antea unâ vice ſimul expenſam eſſe innotuit, ſalvis omninò juribus ac libertatibus ſuis & inprimis portorii Pactis reſervatis, contracti æris alieni adminiculo offerentibus; immunita-

tis cùm

tis cùm Terris Prussiæ generaliter, tùm specialiter Civitati Gedanensi competentis, benignissimam rationem habere dignata, vectigalis istius exactione supersedendum, Regioqve Rescripto libertates & Pacta portorii denuò clementissimè conservanda & confirmanda duxerit: [X.] qvæ qvacunqve telonii novi accessione salva & inviolata esse neqveunt. Qvare insigni errore ducuntur, qvi ex biennii postulatione (cujus tamen decursum, assertioni suæ contrarii, præmaturè antevertere ausi sunt) interpretationem capiendam esse censent, vel lapsu temporis obligationem Regiam extingvi putant. Ecqvis enim perpetuum onus subire facilius existimet, qvàm temporaneum? aut hoc magis officere potuisse credat juribus & privilegiis, nullâ adhuc vi impugnatis, qvàm istud contra morem & instituta Majorum invitis impositum? Ecqvis etiam pecuniariâ impensâ multoqve labore sollicitè impetrare conetur, ut juris indubitati ac immutabilis prærogativa brevissimo temporis exitu terminetur? qvodqve conditionibus propositis qvadantenus circumscribi, vel interruptâ possessione debilitari æqvum non fuerat, id totum paulò post amittatur? Ecqvis deniqve S. Reg. Majestatem, dum Se fidelium subditorum salutem Regiâ clementiâ promovere, eosqve uberioris gratiæ testimonio ad perpetua benè merendi obseqvia alacriores reddere velle profitetur, tectis verborum involucris aliud qvicqvam recondere, & sub conservationis promissione omnimodam juris conversionem & interitum accelerare voluisse, sine piaculo affirmare ausit? Qvæ o- Lit. X.

 mnia

mnia secus se habere, & recta ratio docet, & præcedentis petitionis cum seqventi declaratione collatio, non biennali spatio definitâ, sed liqvidi juris respectu & vitandæ novitatis studio subnixâ, perfectè demonstrat. Neqve verò certitudinem ejus minuit, qvod sine Reipublicæ omniumqve Ordinum consensu, per Rescriptum Principis liberam telonii statuendi potestatem Comitiis præclusam non esse obtenditur: qvippe cum nullum novæ concessionis beneficium contineat, sed à vetusta privilegiorum sanctimoniâ dependeat: qvæ legitimum eo tempore initium habuêre, qvo optimum Reipublicæ statum fuisse Illust^mus Carncovius qvondam prædicabat, dum omnia regebantur à Regibus ex sententiâ Senatus; adeoqve Regis & Reipublicæ rationes nondum separatæ vel distinctæ erant: qvorum observantiam cum Serenissimi Reges, ex Comitiorum placito, solenni jurisjurandi formulâ spondeant; nihil magis utiqve legitimæ eorum potestati congruit, nihil magis ad gloriam & splendorem Majestatis Regiæ pertinet, qvàm tuendis & propagandis juribus antiqvis authoritatem suam impertiri, & pernicioso novandarum rerum metu subjectos sibi populos liberare.

IX. QVod ubi solitâ æqvanimitate S. Reg. Majestatis Civitati Gedanensi obtigisset, & machinationes malevolorum incassum abiissent, nondum tamen cessavit Spiringiorum iniqvitas & insolentia, qvi jam dudum à D. SIGISMUNDO III. infami nomine notati, sub specie Repressaliarum magna damna per vim atq; injuriam Gedanensibus intulêre; & post

& post pactas Inducias publicas, in controversiâ hæreditariâ Civitati Gedanensi temerè intentatâ, Justitiæ & æqvitatis rationibus non admissis, privatam qvietem depacisci noluere. [Y.] Hi igitur famosissimi publicani, cum jam semel ingenti spe excidissent, virulento in Gedanenses odio turgidi, ut pœnitendam licentiam, exactionum Svecicarum præfecturâ usurpatam, suo more reducerent, ac sparso dissensionum semine ex communi calamitate lucra immensa compendifacerent, indulgentiâ S. Reg. Majestatis perperàm abusi, clementissimum Ejusdem animum adversus fidelissimam Civitatem invidiosè pariter ac insidiosè concitare allaborârunt. Qvorum versipellis industria, in omnes rerum occasiones vaferrimo astu intenta, qvò blanditur curiosiùs, eò vehementiùs nocere pergit: & dum falsâ utilitatis commendatione palpum nonnullis obtrudit, occultâ fraudis cogitatione explendæ vindictæ technas promit, aureamqve libertatem aureo hamo inescare subdolè molitur. Sic nempè commonstratâ per hostiles vectigalium freqventationes ditescendi facilitate, novas ærarii locupletandi formas cudere, & abrogati telonii restauratione, qvo nullum erat in ipso bello gravius Reipublicæ malum, belli exactionis novæ architecti & administri ad proprium redire genium, pacisqve & immunitatis redditæ serenitatem commentitii commodi fuligine obfuscare palmarium rati sunt. Qvod si non aliâ de causâ invisum & intolerabile novitatis genus visum esset, (uti reverà altioris indaginis consilia & actiones inusitatæ suspicionibus atqve offensionibus apud exteros

Lit. Y.

 carere

carere neqveunt) hoc ſolo nomine portentoſum & ſcaturientis infortunii plenum cenſeri meritò potuit.

X. UT autem authoritatis publicæ ſuffragia meditato operi accederent, patrociniis potentiorum, quocunque modo quæſitis, prætextum legis Comitialis nacti, feſtinatâ executione rem imperfectam ad effectum deducere, & navibus ad portum Gedanenſem collocatis die 5. Octobris exactionis maritimæ de mercibus ultro citroq; devehendis initium facere Novatores, ambitioſo Regij Theſaurararij titulo ſuperbientes, non dubitârunt. Quod quàm ritè & legitimè factum ſit, operæ pretium eſt diſpicere. Cum enim poſt Conventum generalem Regni, irrito eventu celebratum, extraordinaria Comitia rurſus hoc anno indicta erant, quibus per modum Conſtitutionis, ad proventus vectigales ex dominio maris comparandos, cum univerſorum Statuum conſenſu ineundas eſse rationes certas placuit: expreſsè ſimul cautum fuit, ne quid libertatibus, tàm Equeſtris Ordinis quàm Civitatum, derogetur. [Z.] Quibus inhærentes DD. Nuncij Palatinatuum Pruſſiæ, pro fide ſuâ & amore Patriæ, affectationi inſperatæ conſtanter, cum plurimis aliis, non ſolùm reclamârunt; ſed etiam circa concluſionem ipſam, quando contra legem publicam, Anno 1633. promulgatam, coram Sac. Reg. Majeſtate & Senatu Regni Conſtitutio iſthæc, deficiente communi conſenſu, prælecta eſt, juribus Terrarum Pruſſiæ eam refragari diſertè teſtati ſunt; ac denique diſſidentium con-

Lit. Z.

tradi.

tradictionibus, magis tædio nocturnæ moræ, quàm liberâ voluntate, partim conquiescentibus, partim re indecisâ domesticis consultationibus ulteriorem declarationem reservantibus, negotium hoc telonij ad Status & Ordines Prussiæ, in Conventu postcomitiali congregandos, referendum sibi sumsêre. Qui deinceps, evidentissimis rationum momentis ad animum revocatis, dissensum suum, in Responso S. R. Mtis. Nuncio publicè dato, apertis verbis iteratò manifestârunt. [Aa] Jam verò, quoniam juxta Incorporationis privilegium, omnes causæ notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Consiliariorum, Spiritualiũ & sæcularium, Nobilium & Civitatum Majorum, consilio terminari, tractari & diffiniri debent, nemini dubium esse poterat, in causâ tàm notabili & arduâ, universali consensu destitutâ, sine maturiore deliberatione nihil prorsus attentatum; sed ex præscripto pactorum Portorij, si quid mari gerendum foret, Civitatis Gedanensis, quæ maritimâ expeditione maximè præ cæteris afficitur, æquam rationem habitum iri. [Bb] Nam & diversæ DD. Senatorum literæ, pleniùs de toto negotio in futuris Comitijs agendum esse, significabant: & notoriæ consvetudinis fiducia, quæ nulli vel Provinciæ, vel Palatinatui, vel Territorio, invitis ejusdem incolis, onus aliquod imponi patitur, summamque & caput quodammodo communis libertatis attingere videtur, moræ necessariæ remedium

Lit. Aa.

Lit. Bb.

medium ſuggerebat: & contra omnes juris rationes tributo Terras & incolas Pruſſiæ gravari, in quod nunquam conſenſerunt, Reſcripti Regij authoritas declarabat: [Cc.] quo non modò à ſolutione contributionis ad Fordanum, in Poloniâ ſancitæ, exemtas eas fuiſse patet; ſed quoque inſtitutam olim exactionem illam ad album montem, in Palatinatu Mariæburgenſi Viſtulæ adjacentem, tolerari non potuiſse, ſupremi Regni Theſaurarij teſtimonio oſtenditur. [Dd.] Nihilominus tamen inſcijs ac invitis Terrarum Pruſſiæ Conſiliarijs, prætéritaq; Civitate Gedanenſi, in vicino Olivenſi Monaſterio initiatos novi telonij Præfectos nauticæ exactionis poteſtatem arripuiſse, inopinata fama nunciabat. Unde turbato conſultandi ordine ac ritu conſveto, pleraque alia ob facti inconvenientiam ſtatu ſuo deturbata ancipitem periclitantis fortunæ ſucceſſum præſtolari neceſse erat.

Lit. Cc.

Lit. Dd.

XI. EX quibus omnibus ſtrictim commemoratis facilè colligi poteſt, Civitatem Gedanenſem, rerum novarum diſcrimini potiſſimè obnoxiam, in iſtâ animorum conſternatione & repentini caſus anguſtijs ad ſui conſervationem naturaliter propenſam; ne prævaricari videretur in causâ communi, vel propriam ſalutem ſegniter prodere, atque intempeſtivâ ſubmiſſione juri publico præjudicare, vel fidem cautionis ſuæ, Regno Sveciæ datam, negligenter proſtituere, pacisq; recuperatæ commoda & irrecuperabilem commercij libertatem minus æſtimare, ac damnoſæ pœnitentiæ

pœnas

pœnas ultrò incurrere; prægnantissimis rationibus compulsam esse, ut clementiâ S. R. M.tis humilimè imploratâ, retinendæ possessionis curam solicitissimè moderatissimeq́; agens, negotiationis solitæ jacturam inevitabili necessitate admitteret, ac solenni protestatione interpositâ, se ab omni culpâ vacuam & immunem demonstraret. [E e] Enimverò salvâ subjectionis fide, S. R. M.ti Domino suo clementissimo debitâ, nec non perpetuo incorporationis jure illæso, qvo inclyto Poloniæ Regno se conjunctam agnoscit, ceu fidele ac inseparabile liberæ Reipublicæ membrum, fontem calamitatis publicæ obstrui satius existimabat, ne majoris periculi rivis emanantibus Patria miserè demergatur; qvàm laxato salutaris concordiæ repagulo varijs turbarum molestijs fores pandi, unde prorumpentes, domi forisq́; noxias, contentiones & dissidia exitiale malorum agmen conseqvatur. Imò sanè oportebat eos, qvi inter Consiliarios Terrarum Prussiæ condignum locum occupant, pro Republicâ liberè consulere, & secundum jurisjurandi religionem, qvo tuendis juribus & commodis Terrarum Prussiæ æqvè ac fidei servandæ astringuntur, intemeratas conscientias tremendo Dei judicio offerre; partumq́; virtutis & integritatis decus simili constantiâ in cunctis officij sui partibus ad posteros transmittere, nec placendi studio privilegiorum charitatem ab obseqvij gloriâ divellere: qvæ tùm demum blandâ benevolentiæ conspiratione ad diuturnitatem vergit, cum nullius ingratijs recto tramite incedere licet, & priscâ morum simplicitate obtemperandi voluntatem jurium necessitati attemperare. Lit. Ee.

 rare.

rare. Occurrebat insimul tristis memoria speculatorum, navibus qvibusdam, non vectigalis exigendi, sed commercij ab hostibus divertendi causâ, testantibus literis Regiis, [F f.] qvondam mari Balthico obambulantium: qvorum infestis actionibus ostij Orisundici in Regno Daniæ transitus adeò difficilis redditus est, ut post detentas ibidem naves mercesq; Gedanensium, alieni facti poenas luentium, Civitas ipsa, tantæ difficultatis mole pressa, proprijs viribus eluctari, & centenis Thalerorum millibus illorum vice noxam expiare insons cogeretur. Qvin adhuc recens exorti gravaminis exemplum omnium oculis obversatur, qvo Regiarum navium intuitu, Wismariam Ao. 1628. emissarum, præter bonorum confiscationes, duplicati telonii onus in Civitatem Gedanensem, nullius delicti, imò nec consilij navalis consciam redundavit: cujus liberationem freqventi S. R. M.tis intercessione & excusatione, per literas & Legatos expositâ, nondum obtinere, nec continuis solicitationibus suis, etiamnum durantibus, innocentiæ fructum reportare valuit. Cæterùm qvæ aliorum transmarinorum Regum ac Rerumpublicarum de præjudiciali hoc telonio futura sit sententia, cogitatione faciliùs concipere, qvàm verbis exprimere juvat:- nisi qvòd conditiones confectæ à se pacis Prussiacæ insuper habitas, violatæ amicitiæ indicium arguent; atq; inde fatalis cujusdam infelicitatis [absint præsagia veri] signum datum esse intelligent. Qvocirca prædictæ Civitati sedulâ & accuratâ circumspectione in tantas rerum vicissitudines opus esse nemo inficias ibit, qvi sine præjudicio judicium ferre, & serpentis odij contagione ab-

Lit. Ff.

stinere

ſtinere volet: non qvòd theſauri Regij amplificandi media ſpernat, aut emolumenta privata publicis incrementis præferat; ſed qvòd novorum redituum inventiones, ordinatè ac legitimè, ſine alterius læſione & injuriâ adornari optet; ſolové pecuniæ lucro vanam utilitatis ſpem metiri, ac dubiam Fortunæ aleam audacter nimis experiri, minus probabile tutumq́; videat; atqve ideò ſubitæ mutationis gravamen, citius qverelâ corripiendum, qvàm medelâ corrigendum, in ſe recipere detrectet: neqve etiam qvòd maris dominium impotenter ſibi arroget, cujus ſublimitatem & ſupremam eminentiam Sac. Reg. M.ti lubens meritoq́; defert; ſed qvod ex conventionis mutuæ diſpoſitione in jure maritimo, quæq́; illi affinia ſunt, quę Civitati competunt, ſecundum tenorem Caſimiriani Privilegij perpetuò conſervari, inq́; juris ejus plenâ ac pacificâ poſſeſſione & uſu, uti hactenus fuit, deinceps etiam absque aliquo præjudicio vel impedimento relinqui cupiat: [Gg.] cujus vigore plenariam facultatem habet, omnes & ſingulas navigationes cum omnibus littoribus maris Terrarum Pruſſiæ regendi, diſponendi & gubernandi: nec non omnes velificationes mandandi & prohibendi, cum conſilio, ſcientiâ, & voluntate Reg. M^{tis} vel Vicesgerentis in abſentiâ ejus: ita tamen, ut nulla telonia & gravamina imponat, absque ſcitu & voluntate Reg. Majeſtatis, citra Lit. Gg.

præjudicium tamen & derogationem ullam Privilegij Petricovię concessi: (qvod plenam Regiam potestatem ei tribuit, collectas de omnibus bonis & mercimonijs intra Civitatem, pro temporis rerumq; exigentiâ & beneplacito suo, imponendi ac deponendi) item omnia maritima jura, naufraga bona atque commercia, qualiacunque ea sint, dijudicandi, decernendi, & definiendi: reservato jure Regio in bonis naufragis, juxta contenta Privilegij principalis Terrarum Prussię Cracovię dati: & omnia littora ac portus maris dominij Regij Terrarum Prussię, sine cujusvis interpellatione & impedimento, contra omnes pyratas, prædones, fures & maleficos, in aquâ & littore tuendi, administrandi, eosq; judicandi. [Hh.] Qvo de jure longos sermones retexere, & ingrata è situ ac pulveribus referre certamina, nihil refert; postqvam prava obliteratæ commissionis interpretamenta jampridem rejecta, & obsoletis controversiarum reciprocationibus per pacta Portorij silentium indictum est: qvæ si qvoviscunqve prætextu labefactari, & ex certis incerta reddi debeant, qvid tandem in vitâ humanâ firmum ac stabile futurum sit, vix apparebit amplius; sed si in uno fas putetur, qvenqvam citra culpam & meritum jure suo exui & privari, omnium conseqventer similem rationem haberi necesse erit, & privilegiorum ac libertatum usus inposterum facilè cessabit & evanescet.

Lit. Hh.

Plura

PLura qvidem ad detegenda affectati telonii vitia, & diſcutienda ſiniſtræ opinionis nubila adduci poſſent: aſt qvia æqvis rerum æſtimatoribus ad Veritatis, à multis forte ignoratæ, & Innocentiæ, à paucis certè impugnatæ, cognitionem ſufficere qveunt producta Jurium ac Privilegiorum monumenta; & Actorum publicorum genuinæ narrationes digna attentione monita ſuppeditant; uberiore informatione ſuperſedendum, & bonæ cauſæ confidentiâ, qvod reliqvum eſse poterat, ſagacioribus ingenijs vel temporis opportunitati concedendum eſse præſentis inſtituti ratio ſvadet: qvæ ab optimo animorum affectu & innato Patriæ amore profecta, modeſtam libertatis defenſionem ad nullius injuriam pertinere, nec reprehenſionis notam mereri augurans, remiſſo poſthac vectigalis in Pruſſia conſtituendi deſiderio, mitiorem afflictis ſortem, & almæ Juſtitiæ, veræ utilitati, ac tranqvillæ ſecuritati parem conſiliorum progreſſum, melioris ſententiæ arbitrio pollicetur. XII.



Documenta

Documenta

In præcedenti Informatione allegata, immunitatem Terrarum Prussiæ à novis teloniis, dictorumq; veritatem confirmantia.

Lit. A.

Extractum ex privilegio Culmensi, ab Anno 1233. in fine.

ABsolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus teloncî exactione. Et ne præmissæ Constitutiones, promissiones ac pactiones ab aliquo successorum nostrorum infringi valeant aut mutari, præsentem paginam conscribì fecimus, eam bullarum nostrarum appensionibus roborando. Hujus rei testes sunt &c.

Lit. B.

Compositio causæ de Phalgeldo Anno 1341.

NOs Frater Theodoricus Burgrabius de Aldenborg, Ordinis Domus Teutonicæ Hospitalis Sanctæ Mariæ in Hierusalem generalis Magister, Universis harum notitiam habituris, fore notum cupimus, & publicè profitemur, quod dissensio seu discordia, quæ inter fideles nostros, honorabiles & discretos viros, Cives in Elbingo ex una, ac Cives in Dantzig parte ex alterâ, ex partæ pecuniæ, quæ Pfalgeld in

vulgari dicitur, vertebatur, in præsentia nostri & fratrum nostrorum hoc modo est complanata & sopita, videlicet, quod præscripta pecunia, Pfalgeld vulgariter nominata, proveniens de bonis, quæ in Balgam pervenerint, Civibus in Elbingo, & pecunia etiam Pfalgeld dicta, proveniens de bonis, quæ supra Vislam pervenerint, Civibus in Dantzig debet perpetuò cedere ac derivari. In cujus rei evidentiam & memoriam perpetuam sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum & actum in Dantzk Anno Domini M CCC XLI. feria 4. ante Dominicam Palmarum. Hujus rei testes sunt, Honorabiles & Religiosi Viri, Fratres nostri in Deo dilecti &c.

Lit: C.

Extractum ex Privilegio Terrarum Prussiæ, quod Incorporationis vocatur, dato Cracoviæ Anno 1454.

S*Ilentio tegere non possumus, injuriam Magistri & Ordinis in exigendâ à mercatoribus subditisq; nostris Dacia* Pfundzol: *quæ licet ex fœdere exigi à nostris transmarinisq; mercatoribus non debebat, si Prussiæ mercatores ab illâ solvi quoquo modo contigisset, continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in nostris transmarinisq; mercatoribus exactio, Prussiæ mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem.*

Ibidem post interjectos aliquot articulos.

V*T autem nostræ liberalitatis, æquitatis & Justitiæ dextram his subjectionis eorum & nostræ acceptationis felicibus, dante Domino, primitiis sentiant in universos &* quem.

quemlibet eorum effusam, & in mutatione Principum commutatam etiam & sublatam deprehendant oppressionem, Daciam, quæ in vulgari Pfundzol *dicitur; item alia omnia telonea in aquis & terrâ, novâ aut antiquâ observantiâ, in Terris duntaxat prædictis Prussiæ quomodolibet constituta; item in Terrâ Pomeraniæ exactionem sive Daciam, quæ Porcus, alias Narzasz, veteri institutione Ducum Pomeraniæ vocabatur;* Regiâ *munificentiâ tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum perpetuis temporibus resolvimus, dimittimus & relaxamus: nullo unquam tempore per* Nos *aut successores nostros, Poloniæ* Reges, *ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam.*

In fine ejusdem Privilegij:

ITem mercatoribus Terrarum prædictarum Prussiæ, in Regnum, Ducatus & Dominia nostra venientibus, hanc libertatem & prærogativam de cætero volumus conservari, ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates & oppida Regni & Dominiorum nostrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque speciei vel maneriei existant, contigerit; licitum erit eis hujusmodi merces in loca, testudines & cameras & tecta, quarum illis libera præstari debet arrendatio, deponere, & pro suo arbitrio exponere in venalitatem: Stratasque omnes versus Hungariam, Rußiam, Moraviam, Slesiam, Austriam, Saxoniam, Wallachiam, liberas habeant, depositis tamen, teloneis & stratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum nostrorum semper salvis.

Lit: D.

Ex reciprocâ ſponſione Terrarum Pruſſiæ, eodem Anno Thorunu datâ.

PRomittentes pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, ſub fide & honore, ac onere per nos præſtiti juramenti, quod præfato Illuſtriſſimo Principi, Domino Caſimiro Poloniæ Regi, & ejus ſucceſſoribus, Regibus Poloniæ, velut fideles & ſubjecti, quemadmodum cæteri ejuſdem Regni incolæ, parebimus, auſcultabimus, obediemus, fideliter & conſtanter, perpetuò & in ævum, Juribus noſtris ſemper ſalvis.

Lit: E.

Ex privilegio Regis Caſimiri Civitati Gedanenſi Anno 1457. Germanico Idiomate, uti pleraq; alia, conceſſo.

DUch ſo wollen wir die genümpten vnſern lieben getrewen mit ſulcherer gnade vnd gunſt belehnen vnd in krafft dieſes brives vorleihen vnd geben / Das kein newe Zoll oddir beſwerunge vf der Weißel noch vfm Lande in allen zukommenden zeitten gemacht / vnd wff ſie geleget ſoll werden / Als der Hauptbrief und die handfeſte / zcu Crakaw Landen und Stetten unſer Lande Preuſſen vorlegen und gegeben / innehelt und wßdrucket.

Lit. F.

Ex pace perpetuâ cum Magiſtro Pruſſiæ initâ Anno 1466.

ITem quoniam per Mercatorum induſtriam & rerum venalium importationem Reſpublica notabile accipere con-

consuevit incrementum, statuendo decernimus & spondemus, quod nulla telonea, deposita, gabellas, foralia, sive quascunque alias censuationes, locis & personis, in Regno nostro, Principatibus & dominiis nostris & Regni nostri, imponemus de novo, aut imponi permittemus, tàm in Terris, quàm in aquis; sed tantummodo utemur impositis. Quod idem Dominus Magister Ludovicus, Successores sui, Commendatores & Conventus, in Terris Prussiæ suis observabunt.

Lit. G.

Ex privilegio Regis Casimiri Anno 1476. Terris Prussiæ Mariæburgi dato.

AB omnibus etiam oneribus ac Daciis inconsuetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Magistro & Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipsos libertamus.

Lit. H.

Ex pace perpetuâ & pactis feudalibus cum Duce Prussiæ Anno 1525.

ITem nulla telonea, depositiones, vel alia gravamina in Terris Prussiæ contra antiquam consuetudinem & privilegia ab ullâ partium institui debent, sed vetera telonea permanere. Si autem ab alterutra partium, à tempore Transactionis Regis Casimiri, telonea essent instituta, ea quoque hinc inde abrogari debent.

Lit. I.

Edictum Vniversale D. Sigismundi Augusti, Anno 1572. promulgatum.

Zygmunt August z Bozey łaski Krol Polski, Wielki Xiadz Lithewski, Ruski Pruski Mazewecki Zmoczki &c. Pan y Dziedzicz.

VV Sithkiem wobecz y kazdemu z osobna, ktoregoś kolwiek stanu, dostoienstwa y Vrzędu będacym, Woiewodom, Castellanom, Starostom, Dzierzawcom, Namiestnikom, Woitom Burmistrzom, Lawnikom y Raicom, wszystkich Miast naszych, tak teś Mythnikom y Celnikom wszelakiem, od naś y Rzeczyposp. postanowionem po wszystkich panstwach naszych, a mianowicie, Vrodzonemu y Szlachetnemu Jacubowi Kokoszowskiemu, Podkomorzemu Poznanskiemu, Staroście Ostreszowskiemu, y Cel naszych przes mala y wielka Polskę, Constantemu Corneademu z Candiey ziem naszych Ruskich Celnikom, a wniebytnosci ich samich sprawcom, Pissarzom, slugom, y strozom od nich postanowionem, sczerze a wiernie nam miłem, laskę naszę Krolewska. Wielmozni, Vrodzoni, Slachetni y Slawni, sczerze á wiernie nam miłi. Skarzyli się przed nami Mieszczanie y Kupcy pospoliczi Miasta naszego Gdanskiego, iś Mitnicy y Celnicy naszy,

niedba-

niedbaiac nic na ich wolnoſczi przes przodki naſze y naſz ſame iem nadane, Ktemu nic nie dbaiac na Decret przes nas wtey rzeczy ſwiezo uczyniony; y na liſt Mandatu naſzego do nich danego, Ktoremi od placenia wſzelakiego cła y mytha od rozmaitey Kupie ſą wolnemi uczinioni / od nich y od Kupie ich cła abo mytha wybierać chcą y ſzacować ſię im kázą: A tak iſzmy ieſteſmy na tym aby Kazdy przy ſwey wolności zdawna nadaney zachowan był / poniewas kazdego przy prawie / wolnoſciach ieſteśmy powinni zachować. Roſkazuiemy Vprzeymoſciam y W. W. chcąc to miec Koniecznie, iſz iako ſkoro ten liſt naſz W. W. okazan będzie, zebyſcie przerzeczone Mieſzczany y Kupce Gdanſkie przy ich wolnoſciach zachowali / y zadnego cła a ni myta od kupie ich wſzelakich nie wybierali / ani Towarow ich nie hamowali, ſzacowali, y wybierać, hamować y ſzacować, y popiſowac nie dopuſzczali, y chociabyſcie iuſz niektore Thowary ich za hamowali, szacowali y nieco na nich wyciągneli byli, takowe wſzyſtkie abyſcie im wolno puſcili, y to coście na nich wyciągneli, onym przywrocieli. Nieogladaiąć ſię na pierwſze liſty naſze, przeciw takowey wolnoſci ich przedtym wydane, y ktoreby potym od nas albo z Cancellariey naſzey wydane były y bydz mogli, Ktore iuſz wtey mierze / iako prawom ich y Decretowi

cretowi

cretowi naszemu przeciwne/ ex nunc podnaszą- mi y mieysca zadnego nigdzie niemaiące de- klaruiemy &c. *Pod nielaską naszą abyście inaczey nie czynieli. Datum Warschawie Dnia siodmego Miesiaca Luthego, Roku Panskiego M D LXXII. a panowania naszego Roku XLII.*

Sigismundus Augustus
Rex spt.

Lit. K.

Ex Responso Regio, Internunciis Civitatis Gedanensis, Spectabilibus, Iohanni von der Linden Præconsuli, Conrado Lembken Consuli, Henrico Lembken Ejusdem Civitatis Syndico, dato Grodnæ die IX. Mensis Februarii, Anno Domini M. D. LXXXIV.

CVm in negotio Portorii post multiplices superioris temporis cum Sacrâ Regiâ Majestate tractationes iteratò Civitas Internuncios suos ad Eam miserit, rationesq́ quasdam proposuerit, quas ut benignè amplecti, Civitatiq́ concedere dignaretur, supplicibus verbis sæpè multumq́ à Sacrâ Regiâ Majestate contenderet, quò negotiis hisce finis tandem imponeretur, commodaq́ atque ornamenta Civitatis summæ sibi curæ esse testificaretur, non invita sanè assensa tandem Sacra Regia Majestas est, ut quantum ejus fieri posset, suam erga Civitatis ejus Ordines clementiam demonstraret, omnibusq́ de rebus, de quibus hactenus actum esset, hujus-

hujusmodi, quæ sequuntur, verbis scriptum Privilegium Civitati concedendum existimaret.

Finitis concepti Privilegij verbis subjicitur.

QVæ cum omnia, præterquam quod pro suâ clementiâ concedenda Civitati Regia Majestas existimet, ab æquitate etiam non aliena judicet, cum adhuc propter infrequentiam Senatorum nihil hisce de rebus ex Senatus autoritate constitui potuerit, quò id etiam in publico proximo Regni Conventu fiat, atq; Senatus etiam consensum suum eam in rem præstet, autoritate sua & motu proprio efficiet. Quod si tamen horum aliqua rata habita tunc non fuerint, utraque quoque pars ad totam hanc formulam transactionis præsentesq; tractationes amplius obstricta & obligata esse non debebit: exactio quoque aucti portorij ipso facto cessabit, nec ulterius procedet. &c.

Lit. L.

Ex Actis Majoris Cancellariæ Regni, sub Anno 1585. ubi sequentia extant.

ANno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Quinto, die Vigesima sexta Februarij, Illustris & Magnificus Dominus Regni Cancellarius, Mandatu Regiæ Majestatis Privilegium in Senatu, ac deinde per Commissarios Senatores, à Regia Majestate ac Senatu deputatos, antè examinatum, dedit in Senatu Gedanensium Oratoribus, Spectabilibus Reinholdo Molnero Præconsuli, Iacobo Schelle Consuli & Henrico Lembkie Iuris Vtriusq; Doctori, Syndico: Quod hoc loco inserere visum est. In nomine Domini. &c.

Lit. M.

Ex Privilegio Tractatuum portorij in Comitijs Anno 1585. approbato.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. NOS STEPHANVS DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus DVX Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæq; nec non Princeps Transylvaniæ.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest & intererit inposterum, universis & singulis. Quod cum per plures jam annos, & vivo adhuc Prædecessore nostro, D. Sigismundo Augusto Rege, de auctione portorij, (quod Phalgeldum vulgò vocant) Civitatis nostræ Gedanensis, quam Eidem prædecessori nostro Civitatis ejus Ordines per certos Commissarios, tum ad eam Civitatem missos, secundum quandam placationis formulam sub Ordinum Sigillo communiter editam, promiserant, multùm ac sæpius hinc inde disceptatum controversum ac tractatum fuisset: quod Civitatis ejus Ordines prætenderent, non simpliciter neq; purè auctionem eam prædecessori nostro promissam, sed certas conditiones temporis, vel vitæ ipsius Regis adjectas, & gravaminum itidem, quibus Civitas afficeretur, abolitionem simul & conjunctim exceptam fuisse. Ideoq; cum ex parte prædecessoris eæ conditiones defecissent, insuper etiam per superiorum temporum rationem aliæ difficultates incidissent, quò minus ea auctio effectum sortiretur, ne dum ut ipsi

grava-

gravaminibus tum propositis liberarentur, se quoque existimabant promissione sua hactenus obligari non potuisse. Vnde factum, ut rerum istarum tractationes ad nostræ usque gubernationis atque Regni initia nondum definitæ essent. Quoniam verò plurimum interesse animadverteremus, cæptum semel à decessore negotium expediri & ad finem perduci, cum præsertim existimaremus, Reipub. potius utilitatem vel necessitatem, quàm decessoris personam ea in re initiò spectatam fuisse, statim à felici nostro hoc in Regnum ingressu, postquam domesticas dissensiones, quæ ex studijs partium in electione exortæ fuerunt, composuissemus, ad illud quoque portorii augendi negotium componendum autoritatem studiumq́ nostrum sedulò contulimus quidem; verum quia varia Reipub. negotia, tum cum Magno Moscorum Duce bella, pro dignitate atque securitate publica à nobis suscepta, non parum studium hac in re nostrum morarentur, ad hoc usque tempus nondum rebus iis finis imponi potuit. Tandem ejusdem Civitatis Gedanensis Ordines, ut harum Tractationum finis aliquando inveniretur, dicti portorii sui binummalem auctionem Nobis & successoribus nostris, Regibus Poloniæ coronatis consenserunt, hisce conditionibus, ut gravamina nominatim proposita tollerentur & abolerentur; Civitas ad meliorem statum & rei familiaris augmentum perduceretur; & ipsi hoc gratificandi obsequio gratiam nostram Regiam integrè sibi conciliatam reipsa experirentur: Nos igitur habitâ super hoc deliberatione cum Consiliariis nostris Regni nostri, ac in his nominatim Terrarum nostrarum Prussiæ, Civitati & ejus

Ordinibus, tàm de propositis augendi portorii conditionibus, quàm de tollendis gravaminibus, vigore præsentium literarum, eo quo sequitur modo, cavendum & prospiciendum duximus, cavemus & prospicimus, consilio & consensu Consiliariorum nostrorum in omnibus accedente.

Primum & ante omnia constituimus, decernimusque & sancimus, verboq; nostro Regio pro nobis & successoribus nostris spondemus ac promittimus, quod isthæc auctio portorij Civitatis Gedanensis Juribus, privilegiis, libertatibus, antehac habitis & possessis, ipsi denique portorio, quod antiquitus possedit, nullâ ratione nulloq; unquam tempore, nocere, obesse, derogare, vel præjudicare nec possit nec debeat.

paulò post:

DEcernimus autem volumusq;, ut portorium id exigant more instituto; pristino Civitatis tres Consules & duo scribæ, qui eo, quo hactenus fieri consuevit, modo à Senatu eligentur & constituentur, ac nobis peculiare juramentum in eadem Civitate præstabunt, coram Commissario nostro à nobis deputato, & rationes coram Commissario nostro ibidem reddere, atque etiam, quoties opus fuerit, coram nobis tanquam servitores nostri in Judicio nostro respondere tenebuntur, & erunt adstricti.

Volumus etiam & consentimus pro nobis & successoribus nostris, ut æstimatio exigendi de mercibus portorij, pro valoris conditione, penes senatum more hactenus consueto permaneat.

Neque

Neque supra binummalem auctionem portorium, vel ex nostra vel ex Civitatis parte, ullâ ratione amplius augebimus, neque successores nostri augebunt.

Immunitates quoque, quibus proventus portorii diminuantur, nos & successores nostri nemini dabimus, neque nostrarum mercium nomine & colore quenquam portorium illud eludere vel intervertere permittemus.

Vt prætcrea in loco consueto intra Civitatem & non alibi portorium conjunctim percipiatur, & ibidem rationes nautarum & mercatorum de navibus, bonis & mercibus illorum ineantur & conferantur: utq; literæ passus sub consueto Civitatis Sigillo enavigantibus edantur. Et generaliter omnem hanc percipiendi portorii rationem Nos & Successores nostri nunquam inposterum mutabimus vel innovabimus.

Item alibi:

NE item nova vectigalia vel exactiones, per Nos aut Successores nostros, nec terrâ nec aquâ in fluvio Istula, Civitatis ejus civibus imponantur, temporibus quibuslibet futuris, quemadmodum jam antea Casimiriano Privilegio eâ de re cautum est, præsentibus hisce ordinamus cavemusque.

Deinde quia nonnulla à Civitate proposita fuerant, quibus cum gravari se existimaret, ut ea autoritate nostra vel aboleremus, vel ad æquitatis aliquam rationem reduceremus, humiliter supplicaverat, ea Consiliariorum nostrorum consilio & sententiâ adhibitâ hoc omninò modo

atque ratione definienda existimavimus, quemadmodum & præsentibus definimus ordinamusque.

Ac primò quidem, quod ad Commissionis à D. SIGISMVNDO AVGVSTO eam in Civitatem missæ negotia attinet, etsi sciamus, gravissimis de causis D. Decessorem nostrum adductum Commissarios suos in eam Civitatem designasse: quia tamen magna temporum perturbatio varietasq; consequuta fuit, eaq; quæ Commissionis ejus auctoritate sancita promulgataq; fuerant, nunquam adhuc ad effectum deducta sunt; Placationis etiam formulam D Decessori nostro Civitas ita obtulerit, ut à Commissione illa, ejusq; omnibus gravaminibus benignissimè liberari se petiverit, eaque placatio à D. Decessore nostro Sigismundo Augusto ita accepta fuerit: Nos totâ isthac causâ diligenter examinatâ & perpensâ, volumus, ne quid inposterum de ea quæstionis vel controversiæ relinquatur, sed ut Civitas in jure & statu suo, quo antea fuerat, deinceps etiam permaneat, nec vi istarum actionum & Constitutionum Commissorialium quicquam de statu Civitatis immutetur: ac proinde pro Nobis & Successoribus nostris Civitatem nostram Gedanensem & omnes ejus Ordines ac Cives realiter & effectualiter ab isthac totâ Commissione, & omnibus ejus attinentijs ac gravaminibus clementissimè relevamus & liberamus, *constituentes ac decernentes auctoritate nostra Regia, ne quid*

illorum

illorum, quæ in Civitatis præjudicium, contumeliam & damnum, acta, gesta, constituta sunt, quorum etiam numero famosos libellos Fridewaldi & quorumvis aliorum comprehendimus & cassamus, ullo unquam tempore, nec Magistratus nec Civium honori, existimationi & fidei, Civitatis item juribus, privilegijs, libertatibus & probatis consuetudinibus, quoquo modo obesse, nocere, derogare vel præjudicare possit vel debeat.

& circa finem:

QVæ omnia & singula, uti supra scripta sunt, per Nos & Successores nostros, rata firma ac perpetuò conservabuntur, neque Nos aut Successores nostri adversus ea, in Civitatis nostræ Gedanensis præjudicium aut detrimentum, quicquam facturos, vel fieri passuros, in verbo nostro Regio, pro Nobis & Successoribus nostris promittimus & pollicemur. In quorum certissimam fidem & evidentius testimonium, hæc manu nostra subscripsimus, & Sigillo Regni nostri majore appenso communiri jussimus. Datum Warsoviæ in Conventu Regni generali, die Vigesima sexta, mensis Februarij, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo quinto, Regni verò nostri anno Nono. Præsentibus Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis, Stanislao Karnkowskj Dei gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato & Regni nostri Primate, Petro Miskowskj Cracoviensi, Hyeronimo Rozdrazewskj Cujaviensi, Petro Dunin Volskj Plocensi, Alberto Baranowski Præmisliensi & Regni nostri Vice-Cancellaro, Iacobo Voronieczkj Kyoviensi, Episcopis: Nicolao Christophoro Radziewil, Duce in Dubinkj & Bierze,

Vilnensi

Vilnensi, Solecensi, Borissoviensi, Eustachio Volowicz Castellano Vilnensi, & Magni Ducatus Lithvaniæ Cancellario, Brzestensi, Cobrinensi, Iohanne Chlebowicz, Castellano Trocensi & Magni Ducatus Lithvaniæ Thesaurario, Petro de Potulicze Calissiensi, Alberto Laskj Siradiensi, Iohanne Splawski Inowladislaviensi, Constantino Duce in Ostrog Kyoviensi & Marschalco Voliniæ, Ianusio Duce in Ostrog Voliniæ, Nicolao à Mielecz Podoliæ, Corcinensi, Grodecensiq́, Philone Kmita Smolenscensi, Orsanensi, Ioanne Tarlo de Sczekarzowicze Lublinensi, Pilsnensi, Nicolao Drohostaczkj Polocensi, Stanislao Zolkiewskj Belzensi, Gregorio Zielinskj Plocensi, Zakroczinensi, Mlavensi, Stanislao Kriskj de Drobnin Masoviæ, Plocensi Dobrinensiq́, Anzhelmo Gostomskj Ravensi, Nicolao Dzialinskj, Culmensi, Bratianensi, Ianusio Zbarawskj Braczlaviensi, Cremenecensi, Pinscensi, Palatinis & Capitaneis: Stanislao à Tarno Sandomiriensi, Iohanne Konarskj Calissiensi, Iacobo Ponotowski Brzestensi, Paulo Sczawinskj Lanciciensi, Sochaczoviensi, Varacensi, Stanislao Wlodek de Hermanow Camenecensi, Haliciensi, Colomiensi, Andrea Firlej de Dambrowicza Lublinensi, Sandomiriensi, Stanislao Radziminskj, Cernensi, Livensi, Camenecensi, Martino Lesniowolskj de Obory Podlachiæ, Losicensi, Michaele Haraburda Minsiensi, Iohanne Kozieliczkj Miedzirecensi & Bidgostiensi, Georgio Mniszek Radomiensi Sanocensi Sokalensi, Stanislao Sirakowskj de Boguslavicze Landensi & Przedecensi, Nicolao Herbort de Fulsten, Haliciensi, Leopoliensi, Stephano Grudzinskj Naklensi, Simone Subskj Inowlodensi, Gostinensi, Stanislao Gostomskj Sochaczoviensi Ravensi, Alberto Reczaiskj Varsoviensi Derpatensi, Stanislao Bykowskj

Corani-

Conarienſi, Caſtellanis & Capitaneis: Andrea Opalienskj de Bnin, Regni noſtri Supremo Marſcalco & Majoris Poloniæ generali Capitaneo, Iohanne de Zamoſcio, Regni noſtri Supremo Cancellario & Exercituum generali, ac Cracovienſi, Mariæburgenſi, Kniſſinenſi &c. Capitaneo, Iohanne Dulskj Caſtellano Culmenſi & Regni Theſaurario, Branscenſi, Suracenſi, Suiecenſi, Rogoznenſi Capitaneo, Alberto Radziwil Duce in Olika & Nieswiescz, Curiæ Magni Ducatus Lithvaniæ Marſchalco, Petro Thiliczkj Secretario Majore Regni noſtri, Præpoſito Gneſnenſi, Cracovienſi, Posnanienſi, Warmienſi, Iohanne Tarnowskj Referendario Curiæ Regni, Vladislavienſi, Luncicienſi, Cruſvicenſiq; Præpoſito, Hiacinto Mlodzieiowskj Curiæ noſtræ Theſaurario, Stanislao Kraſiczkj Curruum noſtrorum præfectio, Lubomlienſiq; Capitaneo, Laurentio Goisliczkj Decano Plocenſi, Cracovienſi, Sandomirienſiq;, Ioanne Piotrowskj Scolaſtico Lancicienſi, Cuſtode Sandomirienſi, Cracovienſi, Poſnanienſiq; Canonicis, Paulo Zaiaczkowskj, Archidiacono Præmislienſi, Secretariјs noſtris, Hieronymo Philipowskj Lectiſtratore, Nurenſi Strienſiq; Capitaneo, Marco Sobieskj Vexillifero Curiæ noſtræ, & alijs multis Officialibus, Secretarijs & aulicis noſtris, nec non Nuncijs noſtris terreſtribus, ad præſentem Conventum noſtrum Varſavienſem congregatis, ſincerè & fidel. nobis dilectis. Datum per manus Illuſtris & Magnifici Ioannis de Zamosčio Regni Poloniæ Supremi Cancellarij & Exercituum Generalis, ac Cracovienſis, Mariæburgenſis, Kniſſinenſis, Miedzirecenſis, Krzeſſovienſisq; &c. Capitanei, ſincerè nobis dilecti.

Stephanus Rex.

Lit. N.

D. Sigismundi Tertii Confirmatio Transactionis de binummali auctione Portorii Anno 1588.

Sigismundus *Tertius Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lancitiæ, Cujaviæ, Russiæ, Prussiæ, Culmensis, Elbingensis & Pomeraniæ, tum Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ Livoniæque, eademque gratia designatus Rex Sueciæ, Magni Ducatus Finlandiæ Princeps &c. &c. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, & inposterum intererit. Quod cum coram nobis productæ fuissent in originali & authenticâ formâ literæ Serenissimi Prædecessoris nostri* D. Stephani *Poloniæ Regis*, in Comitiis Regni Generalibus *Varsaviæ* die *Vicesima* sexta *Mensis* Februarij *Anno* Domini *M.* D. LXXXV. *Civitati Gedanensi datæ, concernentes Tractatum quendam, inter eundem Serenissimum Regem, & Civitatem nostram Gedanensem, ratione auctionis binummalis Portorij (quod Pfalgeldum vulgò vocant) ejusdem nostræ Civitatis habitum, conventum & conclusum, una cum certis conditionibus in ijsdem literis comprehensis, ad quem quasq; conservandum & conservandas prædictus Rex Stephanus*, pro se & Successoribus suis Regibus Poloniæ coronatis, *eidem Civitati nostræ Gedanensi caveri voluit: Nos vestigiis Ejusdem Prædecessoris nostri, &* Transactioni ita conclusæ inhærentes, quæ in eum etiam finem à prædecessore nostro nominatim acceptata fuit, ut abolitis ac sublatis, quæ tum propo-

neban-

nebantur, gravaminibus Civitas ad meliorem statum & rei familiaris augmentum perduceretur, & ipsi Civitatis Ordines, hoc gratificandi obsequio, gratiam Regiam integrè sibi reconciliatam re ipsâ experirentur, Tractatum prædictum in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, modis & conditionibus, ac literas super eodem & iisdem confectas, quas hic pro expressis & insertis habere volumus, non aliter ac si verbotenus omnia & singula capita descripta essent, approbandum, confirmandum, ratificandum, & approbandas, confirmandas, ratificandas duximus, ac approbamus, confirmamus & ratificamus tenore præsentium literarum. Itaque omnia & singula, quæ præfati Tractatus literis continentur & caventur, præsentis Confirmationis vigore & autoritate, ac in verbo nostro Regio, non infringere nec violare aut diminuere, sed multo magis firmiter & inviolabiliter non solum tenere & observare, verum etiam, si qui defectus intervenerunt, quò minus quidquam eorum hactenus impletum fuerit, vel si quid intermissum sit, id redintegrare, emendare, & adimplere promittimus & pollicemur. In quorum omnium fidem has manu nostra subscripsimus, Sigilloq; nostro roborari jussimus. Datum Cracoviæ die Vicesima Octava Mensis Martij, Anno Domini Mellisimo Quingentesimo Octuagesimo Octavo, Regni verò nostri, Anno primo. Præsentibus &c.

Lit: O.

Ex Instructione S. R. Mtis. Generoso Iacobo Sczepanshi Succamerario Mariæburgensi, Capitanęo Mirachoviensi, Varsaviæ die XIII. Mensis Aprilis Anno Domini M. DC. XV.

Posteaquam Nuncius S. R. M. Gedanum pervenerit, nactus facultatem mandata nostra apud Præconsulem & Consules exponendi, delatâ S. R. M. gratiâ ac clementiâ, literas fidei reddet, faustaq; ac felicia cuncta precabitur ac simul exponet, &c. Hâc causâ diligentissimè commendatâ, proponet rationes augendi portorij: quâ in re, etsi S. R. M. nihil innovare voluerit, cum tamen intellexisset, non ex famâ, neque vanis rumoribus, sed ex certis nuntijs, quod etiam scire Magistratum Gedanensem S. R. M. existimat, Serenissimos Galliarum, Angliæ & Daniæ Reges, tum etiam Status Civitatum Belgicarum, ita auxisse Vectigalia portoriorum, ut magna pars redituum ipsis accreverit; non alienum à ratione S. R. M. arbitratur, ac è commodo tum suo, tum etiam subditorum suorum, ad quos Portoriorum reditus pertinent, si idem in ditionibus Provinciisq; suis, quas mare Balthicum alluit, institueretur, ut nimirum à mercibus suis mercatores peregrini majus aliquod solito pretium, conformeq; vel non absimile ei, quod in Portubus memoratorum Regum dependitur, solvant. Cum verò eâ in re sine consensu eorum omnium, qui portus aliquos habent, nihil certi statui ac determinari possit, tractasse S. R. M. cum Illustrissimo Electore Ducibusque Curlandiæ, ac illos assensisse; modò Civitas Gedanensis assensum suum præbeat; proponere velle Rigensibus & aliis, quos S. R. M. non alienos fore ab hoc suo proposito judicat. Postulare itaque R. M^tem. ut Magistratus Gedanensis ad eam rem ritè perficiendam consensum suum præbeat, voluntatique S. R M. sese accommodet, ac eidem sententiam suam eo in negotio

gotio aperiat. Fore id è commodo non ſolum S. R. M. ſed etiam illius Civitatis, nullumq́ inde privatorum naſciturum detrimentum, cum memoratam auctionem vectigalium ad exteros ſolum pertinere velit. &c. &c.

Ad Mandatum Sac. R. Mtis. proprium

Jacs: Zadzik Secrs: Mr.

30

Lit. P.

Ex Reſponſo ad Legationem Sac. Reg. Majeſtatis, eidem Dn. Nuncio dato.

Porrò auctionem Portorÿ Senatus itidem ad conſilium Ordinum revocavit. Eam verò ita comparatam eſſe ſentiunt omnes, ut primâ quidem fronte appareat, & Sacræ Regiæ Majeſtati & Civitati huic, non mediocrem allatura utilitatem: ſed ſi penitius introſpiciatur, non modò cum maximo Civitatis incommodo & diſpendio conjuncta, verum etiam ad ipſius Regni non mediocre detrimentum pertinere videatur. Quod ſine dubio Illuſtriſſimus Elector, Duces Curlandiæ, Rigenſes & alÿ, quos Sacra Regia Majeſtas hoc nomine requiſivit, animadvertentes, declinandæ invidiæ causâ, ab hujus Civitatis aſſenſu approbationem ſuam videntur ſuſpendiſſe. Habet enim hæc Civitas in exteris Regnis, provinciis & Civitatibus, certas commerciorum libertates & immunitates, certis pactis & conditionibus circumſcriptas, quibus inter alia cautum, ne in hac Vrbe novo quopiam exactionis genere ipſi quoque exteri onerentur. Quibus aucto portorio cauſa præbebitur, ut & illi Civium Gedanenſium apud ſe immunitates & privilegia reſcindant, eosq́ majoribus, quàm antea, exactionibus onerent; unde

commercia tandem apud exteros deserere Gedanenses cogentur. Quod superioris auctionis sub D. Stephano factæ exemplum comprobat. Eo enim adductus Serenissimus Daniæ Rex novam exactionem, quam Lastgeldum vocant, quæq; adhuc durat, Gedanensibus imposuit, binummali auctione longè graviorem. Deinde quoque mercatores ejus sunt ingenij, ut libertates atque immunitates commerciorum sectentur, onera quantum possunt defugiant. Aucto itaque portorio, hanc Vrbem dubio procul aversabuntur, & negociationes suas aliò convertent. Vnde futurum, ut merces è Regno devectæ vilescant, & exportationis fructu destituantur, cum incredibili non modò Civium Gedanensium, sed omnium etiam Regni incolarum detrimento. Denique commerciis deficientibus & peregrinis portum hunc declinantibus, quantam Sacra Regia Majestas in redditibus portorij jacturam passura sit, facilè est existimare. Vt taceamus, quantis præterea vicinorum Principum ac Civitatum odijs ac simultatibus adversus Cives Gedanenses hæc res præbitura sit occasionem. Atque his & alijs de causis olim factum, ut D. Rex Stephanus, pro se & Successoribus, disertis verbis hanc clausulam privilegio Tractatuum Portorij inseruerit, quod supra binummalem ejus temporis auctionem portorium, vel ex Regia vel Civitatis parte, ulla ratione amplius augeri non debeat. In quâ ut nunc etiam Sacra Regia Majestas clementissimè acquiescere dignetur, Senatus humilimè rogat.

Lit. Q.

Confirmatio Iurium, & nominatim pactorum portorii.
Anno 1633.

In

IN Nomine Domini, Amen. Cum Regum ac Principum laudes, quibus Virtutis memoria æternitati consecratur, illustriores reddantur, quando fidelium subditorum commoda, utilitates, honorem ac dignitatem tuentur, eorumq; saluti & felicitati conservandæ augendæq; consulunt: Proinde Nos VLADISLAVS Quartus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogetiæ, Kioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ Livoniæque; necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius Rex, Electus Magnus Dux Moscoviæ, Significamus præsentibus literis nostris universis ac singulis, quorum interest, harum notitiam habituris. Quod cum in felici Coronatione nostrâ omnium incolarum Regni & Dominiorum nostrorum jura & privilegia solenniter confirmaverimus, petieritq; per Internuncios suos Civitas nostra Gedanensis, ut speciali quoque Diplomate jura atque privilegia sua confirmaremus, & omnium libertatum immunitatumq; sibi competentium firmitati autoritate nostrâ Regia prospiceremus, ipsumque juramentum, â nobis in Coronatione nostra Regia præstitum, ad Status Terrarum nostrarum Prussiæ, & sic ad eandem Civitatem Gedanensem pertinere declararemus: Ideò Nos cognitam perspectamque habentes singularem præfatæ Civitatis fidei constantiam, integritatem synceritatemq; & præclara bene merendi studia, Prædecessoribus nostris, Regibus Poloniæ, & inprimis D. Parenti nostro, totique Reipublicæ nuperis belli motibus egregiè comprobata: volentesq; omninò talem illius virtutem & merita gratiâ nostrâ Regiâ compensare, & quæ ad ornamentum & incremen-

tum

tum ejus spectare videntur, clementer promovere: omnia ac singula Civitatis nostræ Gedanensis jura, privilegia, indulta, libertates, prærogativas, immunitates & receptas consuetudines, Ecclesiasticas & sæculares, sub quibuscunque verborum tenoribus & modis, per Serenissimos Prædecessores nostros, Reges, Principes, Duces, Magistros, quocunque tempore data, concessa, emanata, & datas, concessas, emanatas, atque observatas, nominatim etiam Tractatum Portorij, sive Conventionem cum Serenissimo olim Stephano Rege portorij ratione initam, *& quævis alia munimenta, antiqua & recentia, donationes item, inscriptiones, cautiones, & literas qualescunque, seorsim vel cum aliis conjunctim obtentas, quorum & quarum tenores hic haberi volumus pro insertis & expressis, in omnibus suis punctis, capitulis, articulis, clausulis, conditionibus & contentis, confirmanda, roboranda, stabilienda, ratificanda, & confirmandas, roborandas, stabiliendas, ratificandas duximus & decrevimus: prout vigore præsentium confirmamus, roboramus, stabilimus, ratificamus, & de certâ scientiâ nostrâ approbamus & renovamus, illaq; & illas perpetuæ, veræ, indubiæ & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere statuimus, &* sub juramento nostro Regio, in prædicta felici Coronatione nostra corporaliter præstito, sanctè pollicemur. Quo videlicet, uti Terras Prussiæ, sic etiam Civitatem nostram Gedanensem ita comprehensam esse volumus & declaramus, ut omnia Terrarum Prussiæ Civitatisque Gedanensis privilegia & jura sarta tecta remaneant: omniaque eadem obligatione ac tam firmiter, quàm

aliis

aliis Statibus & Ordinibus Regni Poloniæ Nos servaturos recipimus. Promittentes cuncta illa superius memorata, Civitati nostræ Gedanensi quomodolibet servientia, quibuscunque dicantur nominibus, nullatenus infringere, labefactare aut imminuere: quin potius constanter, illæsè & inconcussè tenere ac observare, teneriq; & observari facere, temporibus perpetuò duraturis: & si qui defectus intervenerint, quò minus quicquam eorum hactenus impletum fuerit, in toto vel in parte; vel si quid intermissum sit, id inposterum redintegrare, emendare & realiter ac cum effectu adimplere: ita ut omnia incommoda, abusus & difficultates, quæ contra prædicta jura ac privilegia quoquo modo irrepserunt, illis nec præjudicare vel ulla ratione obesse debeant, nec contrariis Rescriptis aut concessionibus, quandocunque impetratis vel impetrandis, iisdem directè vel indirecte derogari possit; quæ quasvé pro injustis, illegitimis ac nullis semper haberi, neque vim ullam vel validitatem iis attribui volumus, & Confirmationis hujus autoritate definimus. In quorum omnium fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Cracoviæ in Comitijs felicis Coronationis nostræ die Decima Martij, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Tertio, Regnorum nostrorum Poloniæ & Sueciæ Anno primo. Præsentibus Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Veneralibus & Generosis &c.

Lit: R.

Ex Pactis Induciarum Anno 1635. Stumsdorfii initis.

Art. V.

Post restitutionem locorum omnium Vectigalia in eum mox reducantur statum, & in illud jus, in quo erant ante hoc bellum, servatâ in omnibus æqualitate, ubi antea fuit.

Artic. XIV.

Commercia pristina inter utrumque Regnum & provincias subjectas restituantur, & in veteri exercitio conserventur, redeantq; omnia in eum statum, in quo ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus novitatibus oneribusq; hoc bello indictis vindicata.

Artic. XX.

PRo majore securitate, & ne quicquam hisce pactis contrarium durantibus Induciis à quopiam committatur, Ordines Regni Poloniæ & Mag: Duc: Lith: promittant & fidejubeant, Serenissimum Regem Poloniæ & Ejus fratres, eorumq; Successores & posteros, durantibus Induciis, ex Regno Poloniæ, Magnoq; Ducatu Lithv: & omnibus Eis subjectis provinciis atq; ditionibus, nihil molituros, multò minus hostile quicquam tentaturos, adversus Serenissimam Reginam, Ejusq; Successores, Reges Regnumqué Sueciæ, Eisq; subjectas ditiones ac provincias, Civitates, Castra, Munimenta ac Territoria: & si quicquam tentaverint, id impedire ac prævenire teneantur.

Artic. XXI.

SAcra Regia Majestas & Respub. Polona adversus Sereni-

nissimam Reginam, ejusqué Successores, Reges Regnumq́ Sueciæ, subjectasq́ ditiones ac Provincias, nullis navibus vel classe maritimâ utatur, vel aliis quibuscunque auxilio submittat, durantibus Induciis: Et Dux in Prussia, Dux Curlandiæ, & ex Statibus Prussiæ Regalis Civitates Majores caveant, se non permissuros, hostile quicquam ex Portubus suis Reginæ Regnoqué Sueciæ, subjectisqué ditionibus ac Provinciis illatum iri, directè vel indirectè.

Lit. S.

Literæ Cautionis nomine Civitatis Gedanensis extraditæ Anno 1635.

NOs Præconsules & Consules, Scabini, Centumviri, totaq́ communitas Civitatis Gedanensis, Notum testatumque facimus, universis ac singulis, quorum interest. Postquam in publicis Sac: Reg. Mtis. Domini Nostri Clementissimi Regniq́ Poloniæ ex una, & Serenissimæ Reginæ Regnique Sueciæ ex alterâ parte Tractatibus, die 12. Septembris Anni præsentis in pago Stumsdorff conclusis, ita conventum fuit, ut Regalis Prussæ Civitates majores, speciali cautione interpositâ, reciperent ac sponderent, se non permissuras stantibus Induciis hostile quicquam ex portubus suis Reginæ Regnoq́ Sueciæ, subjectisq́ ditionibus ac Provinciis inferri, directè vel indirectè: Proinde vigore præsentium bonâ fide promittimus ac cavemus, nos toto hoc induciarum tempore non permissuros esse, ut ex portu nostro hostile quicquam Serenissimæ Reginæ ac Successoribus ipsius, Regnoq́ Sueciæ, subjectisque Ditionibus ac Provinciis inferatur, directè

 vel

vel indirectè, neque nos ipsos contra tenorem Pactorum publicorum illaturos, sed promissam securitatem præstituros esse. In cujus rei fidem Sigillum Ordinum Civitatis hisce est appressum. Datum Gedani 16. Novembr: A°. 1635.

Lit. T.

Ex literis Illustr: Dn. Petri Brahe, Comitis in Vissingsborg, die 14. Septembr: Anno 1635. Mariæburgi datis.

INterim hoc admonendum censuimus, ne ex vi istorum verborum in Pactis expressorum, Post restitutionem locorum omnium Vectigalia in eum reducantur statum &c. sibi quoque ita vectigalia vindicent, ut exteris nationibus, quæ in nostra consensêre vectigalia, hoc Anno duratura, ansam conquerendi dent: multò minus ut in posterum sibi ea retinenda ducant, vel Serenissimo Regi Poloniæ (quod fama ad nos pertulit) transcribant: cum id novis difficultatibus Regna involvere posset, ac propterea omni ratione à Dom. Vestris cavendum est.

Lit. V.

Supplicatio Sacræ Regiæ Majestati exhibita Gedani die 21. Ianuarij Anno 1636.

TAnta est erga Sac: Reg: V. Majestatem clementiæ & æquanimitatis fiducia animis omnium Civitatis hujus Ordinum insita, ut in rebus gravissimis, & publicam privatamque salutem concernentibus, tutissimum spei suæ refugium in eâ solâ collocatum teneant, certissimumq́ adversitatis omnis solatium non aliunde post divinam opem expectan-

standum censeant. Cui proinde humilimè innixi, intolerabilem gravaminis impendentis difficultatem S. R. V. Mti. Domino nostro Clementissimo, subjectissimis animorum studijs exponere, ac salutarem in conservandis fidelium subditorum juribus, commodisq; eorum promovendis, ac damnis avertendis benignitatem, quâ nihil magis Regiæ gloriæ splendorem augere potest, devotis precibus implorare non dubitant. Postquam enim ex Mandato S. R. V. Mtis. Senatui Civitatis nuperrimè insinuato intellexerunt, eam esse intentionem S. R. M. Vræ. ut cessante vectigalis maritimi exactione Suecicâ, per belli injuriam introductâ, & per sexennales Inducias, præviâ sponsione ac remissione Illustrissimorum Dominorum Commissariorum Reipublicæ Polonæ, Civitati huic invitæ impositâ, nunc etiam restitutâ tranquillitate pristinâ, & reductis ad priorem statum vectigalibus, (quo ipso nihil gratius ac optatius Civitati accidere potuit) identidem ex omnibus mercibus in Portu Gedanensi tres cum dimidio floreni, ultra consuetum portorium, per Exactorem specialiter ad id constitutum, in usus Regios percipiantur: rei hujusce novitate & imminentis inde mali gravitate in subitam conjecti consternationem, parùm abest, quin omnem penè lætitiæ vim, antea conceptæ, in dolorem & gemitus; omnem fidei & meritorum memoriam, in afflictionem & pericula conversum iri vereantur: nisi in æquitate & justitiâ S. R. V. Mtis. Domini nostri clementissimi, desideratum incolumitatis suæ præsidium reliquum habeant. Quam quia eo potissimùm fine in Civitatem hanc, omni cultu, obsequio & fidelitatis constantiâ sibi addictissimam, venisse constat, ut sublatis omnibus gravaminibus clementiæ Regiæ testimonium perpetuum posteritati relin-

 que-

queret; nihil minus futurum Ordines Civitatis sperare potuerunt, quàm ut novi, & quidem maximi, gravaminis occasio inde oriretur: quin potius Pace & quiete reddita, plenam quoque privilegiorum integritatem, & commerciorum pro publicâ utilitate restaurationem perfectam, humilimè sibi sunt polliciti.

Jam verò non modò universim Terras Prussiæ ab omni teloneorum exactione liberas & absolutas fuisse, antequam se spontaneâ deditione Serenissimorum Poloniæ Regum potestati subderent, ex antiquissimo Privilegio Culmensi de anno 1233. constat; itemq; omnia telonea, in aquis & terrâ, â Divo Casimiro Rege, uti ipsa verba Privilegij incorporationis de anno 1454. innuunt, sublata & abrogata esse, nullo unquam tempore, ex quâcunque causâ aut occasione, instituenda aut imponenda, evidenter patet: sed inprimis etiam in privilegio Tractatuum Portorij, â S. R. M^te. V. sub juramento Regio solenniter confirmato, disertis verbis cautum est Civitati, quod supra binummalem auctionem, certis conditionibus concessam, portorium nullâ ratione amplius augeri, nec percipiendi portorij rationes, per se vel Successores suos, inposterum unquam mutari vel innovari deberent.

Cæterum quantum commercijs detrimentum ac impedimentum ab ista vectigalis novi accessio-

nc

ne metuendum sit, superioris auctionis sub Divo Stephano factæ, quæ tamen longè minor erat, exemplum satis comprobat; quo adductus Serenissimus Daniæ Rex novas itidem exactiones Gedanensibus imposuit: tùm & manifesta ratio evincit, quòd mercatores, libertates suas sectari & onera, quantum possunt, defugere consueti, hanc urbem deinceps dubio procul aversabuntur, & negociationes suas aliò convertent, ubi vel Albis vel Oderæ beneficio merces in ulteriora aliarum provinciarum loca devehere sine vectigalium ejusmodi præstationibus liceat. Unde futurum, ut exteris portum hunc declinantibus, merces è Regno devehendæ vilescant, & exportationis fructu destituantur; invectæ rursus pretio suo in immensum excrescant, cum incredibili non modò Civium Gedanensium, sed omnium etiam Regni incolarum incommodo; Gedanenses autem sua apud exteros commercia tandem deserere cogantur: qui vicinorum Principum ac Rerumpublicarum Civitatumq; odijs & simultatibus obnoxij, ad summas angustias redigentur, & deterioris semper conditionis molestijs implicati, nunquam ad meliorem statum pervenire, neque adeò Pacis commoda in usus suos, & præteritarum calamitatum levamen, transferre poterunt.

Ut nihil dicatur, de pactorum publicorum tenore, quæ omnia vectigalia eum in statum idemque jus, uti ante bellum fuit, redigenda esse expressè disponunt: quibus si hac in parte contraventum fuerit, omnis vindictæ moles in Civitatem hanc redundabit, eaq; novis subinde injurijs exposita miserandæ sortis infortunium, non tàm sublatum, quàm transmutatum experietur: quod haud obscurè literis DD. Commissariorum Suecicorum significatum fuit.

Quam-

Quamobrem universi Ordines Civitatis, etsi singulare beneficium S. R. V. Mtis, Domini nostri clementissimi, optatæ Pacis successu collatum, æternis laudibus prædicandum, & omni gratitudinis genere prosequendum omninò agnoscant: humilimè tamen confidunt, longè â voluntate S. R. V. Majestatis alienum fore, ut Civitas hæc jurium suorum & privilegiorum jacturâ, quibus nihil in Terris charius aut sanctius possidet, aut fortunarum omnium dispendio, ad extremam perducatur perniciem, novisq; pressa oneribus omnem benè vivendi opportunitatem sensim amittat: quin potius inclytæ Reipublicæ Status omnes & singulos eas rationes inituros esse, quæ tantis S. R. V. Mtis. meritis aptè conveniant, & absque publicæ utilitatis discrimine gratitudinis debitæ officium contestari queant. Quibus suo quoque loco Civitatem hanc, uti fidele ac inseparabile Reipublicæ membrum, non defuturam esse, Senatus cum reliquis illius Ordinibus submisso venerationis cultu pollicentur; iterum iterumq; humilimè rogantes, ut S. R. V. Majestas, laudatissimorum suorum Antecessorum exemplo, benignissimam hac in parte Civitatis rationem habere dignetur: quæ tàm insigni Regiæ clementiæ argumento incitata, cunctis viribus in id vicissim incumbet, ut de S. R. V. Mte. Domino nostro Clementissimo, bene merendi occasiones nullas prætermittat; nevè adeò S. R. Mtem V. collati in fidelissimam Civitatem beneficij pœnitere unquam possit.

Lit. X.

Literæ Reversales S. R. Mtis. de immunitate novi telonei conservandâ Anno 1636. Gedani datæ.

Vladis-

Vladislaus IV. Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviæq; nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorum hæreditarius Rex.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis, harum notitiam habituris. Postquam constitutis viginti sex annorum induciis, bellum in Prussiâ divinâ gratiâ sopitum, & almæ Pacis tranquillitas, magno omnium Incolarum gaudio, restituta esset; adeoq; Nos, juxta conventionem cum Legatis exterorum Principum Mediatorum certis de causis initam, moderatum vectigal maritimum ad biennium in portubus nostris exigendum destinassemus: Ordines verò Civitatis nostræ Gedaneñ, nonnulla inde commerciis incommoda atque impedimenta allatum iri veriti, cum allegatione jurium suorum, humilimè à nobis petiissent, ut benignam præsentis temporis, conditionisq; suæ, ac immunitatis, cùm Terris Prussiæ, tùm Civitati Gedanensi specialiter competentis, rationem habere dignaremur, neque novis exactionibus in portu Gedanensi quenquam aggravari, sed pleno recuperatæ Pacis fructu omnes gaudere permitteremus. Proinde Nos, qui nihil magis, quàm fidelium subditorum salutem & utilitatem Regiâ clementia promovere, omniaq; jura ac privilegia

integra & illæsa permanere cupimus, desideriis præfatæ Civitatis Gedanensis, ob insignem fidei constantiam & meritorum universæ Reipublicæ præstitorum gratam recordationem, haud gravatim voluntatem nostram accommodandam, & vectigalis ejusmodi exactione supersedendum duximus: nec non uberioris gratiæ nostræ testimonio Eandem ad perpetua benè merendi obseqvia alacriorem reddere volentes, jura & privilegia libertatesq; Ejus, tum & pacta portorij, juxta Confirmationem in Comitiis felicis Coronationis nostræ solenniter factam, deinceps etiam conservanda & confirmanda duximus, prout conservamus & confirmamus. Porro cum ad testandam gratitudinem, quâ beneficium à Nobis, ad Pacis studium inclinatis, acceptum subjectissimis animis proseqvuntur &c. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Dat. Gedani die V. mensis Februarij Anno Dni. M. DC. XXXVI. Regnorum nostrorum Poloniæ & Sveciæ IV. Anno.

Vladislaus Rex.

Johannes Gembicki
S. R. Mtis.

Lit: Y.

Asſecuratio S. R. Mtis. in causâ Spiringianâ, Civitati Gedanensi post Inquisitionem data, Anno 1636. die 7. Februarij.

Vladisla-

Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniæ &c.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis, Quod cum in præteritis Induciarum Tractatibus ita convenisset, ut Repressalia inter Regna Poloniæ & Sueciæ inposterum nulla concedantur; iis tamen, quibus concessa sunt, Justitia administretur: eoq́ nomine inprimis Famatus Isaacus Spiring, pro se & consortibus suis, diligenter institisset, hæreditatem post Christianum Duist, Gedani Anno 1614. defunctum, ad se devolutam, sibi ab eadem Civitate restitui. Proinde Nos vigore pactorum publicorum pro Justitiæ administratione causam istam accuratè expendimus; & quoniam hæreditatem præfatam, per mandatarium Serenissimi Progenitoris ac Decessoris nostri, donationis titulo vindicatam, & appellatione à sententia Spectabilis Magistratus Gedanensis ad Judicium Regium interveniente, in contumaciam hæredum, trinis Decretis Regiis, iisdem secundum juris processum abjudicatam, ac tandem ex custodiâ Spect. Burgrabij & Senatus Gedanensis, executionis necessitate injunctâ, in usus Regios extraditam, ipsiq́ Civitati de indemnitate cautum esse intelleximus: etsi ad restitutionem ejus, quod legitimo juris ordine adhibito, & ipsius partis neglegentiâ amissum fuit, haud tenebamur: nihilominus, ne Civitati culpa aliqua imputaretur, vel damnum immeritum inferretur, summam relictæ hæreditatis principalem, nimirum, quindecim millium trecentorum & quadraginta octo au-

reorum Vngaricalium, eidem Spiringio ex Theſauro noſtro proprio exſolvere conſtituimus. Quam cum recipere idem Spiringius recuſaret, nec æquitatis & Juſtitiæ rationes admitteret: icircò, ne quid deinceps exinde difficultatis aut moleſtiæ ſuboriatur, & eo, quo antea factum eſt, modo Civibus & incolis Gedanenſibus, quibus magna damna ſub ſpecie Repreſſaliorum per vim & injuriam illata ſunt, negotium exhibeatur; hiſce Civitati Gedanenſi clementer verbo noſtro Regio promittimus ac pollicemur, pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, Nos ab omni impetitione ac turbatione, controverſiis ac periculis, eandem omnesq; ejus Cives & incolas liberos, tutos, ſecuros & indemnes præſtituros, ac ſecuritati eorum proſpecturos eſſe. In cujus rei fidem &c.

Lit: Z.

Formula Conſtitutionis Comitialis Anno 1637. M. Iunio.

Cła Morſkie.

CHcąc przywieść do ſkutku pożytki z Cel Morſkich, ktore Nam y Rzeczyposp. ex dominio Maris należą. Zá zgodą wſzech Stanow mamy iáko nay gruntownicyſze inire modos & rationes, iákoby tákowe Cłá do ſwego mogly przyść porządku. Nie deroguiąc wtym Poddánym Náſzym, ták ſtanu Szlácheckiego, iáko y Miaſt Náſzych, ktorzyby ſłuſzne iákie ſwoie ratione Praw

iákich

iákich od Przodkow Náßych nádánych pokaſały Nam exceptie y wolności. Ná ktorą Conſtitutią Woiewodſtwá y Powiáty W. X. Litewſkiego niektore pozwoliły, á drugie do Bráciey wzięły. A Woiewodſtwá Pruskie biarą ſobie ná Seymik według zwyczáiu.

Lit. Aa.

Extractum ex Reſponſo Conventus Poſtcomitialis Terrarum Pruſſiæ Mariæburgi die 3. Auguſti Anno 1637. celebrati.

Nec reticendum eſt Statibus & Ordinibus harum Terrarum, quod de Conſtitutione ratione maritimi telonei, in proximè præteritis Comitijs inſperatò laudata ac poſtea legum volumini inſertâ, ad clement.mam Seren.mæ Ma.tis Regiæ voluntatem, Status & Ordines in hoc Conventu deliberationem ultrò citroq; inſtituerint: cognito autem, eandem non tantum contra antiquiſſima harum Terrarum jura eſſe; verum etiam extra S. R. Mtis. propoſitionem, ad nuperos anteComitiales hinc inde in Regno Magnoque Lithvaniæ Ducatu, adeoq; in his Pruſſiæ Terris celebratos Conventus miſſam, contradicentibus in Comitijs DD. Terrarum Pruſſiæ Internuncijs ſtetiſſe: Inſuper quà domi quidem, ingentem mercium & vendibilium rerum omnium caritatem, indeq; ſubſecuturam ſummam penuriam cauſaturam; quà foris verò, apud extraneos ultramarinos Principes (cum quorum uno, Regno nimirum Sveciæ, uti in alijs, ita & in hoc puncto, non ita pridem pacta inita & ſtabilita ſunt) periculi & difficultatis pluri-

mùm parituram esse: idcircò S. R. Mti. reverentissimè itidem studio supplicant toties nominati Status & Ordines, ut consultationem hanc ipsorum, boni publici causâ agitatam, benignissimè suscipere, & quod in eam consentire nequeant, clementissimè id in partem meliorem interpretari dignetur.

Lit. Bb.

Ex pactis Portorij cum Civitate Gedanensi initis Ao. 1584. & in Comitijs Anno 1585. confirmatis.

MAri si quid pro re ac necessitate Regni & ditionum subditorumq; nostrorum gerendum statuerimus, successoresvé nostri statuent, maturè id deliberatoq; fiet, & Civitatis nostræ Gedanensis, quæ maritimâ expeditione maximè præ cæteris afficeretur, æqua ratio habebitur. Tale verò prædonum speculatorumq; genus, quale hactenus cum publico incommodo fuit, planè abominamur, nostroq; & successorum nostrorum nomine tollimus.

Lit. Cc.

Ex Rescripto D. Sigismundi III. Ao. 1598. die 7. Iunij dato.

CVm autem nihilominus tributum à frumentis & aliis mercibus ad Fordanum, prætextu contributionis in Polonia sancitæ, à plerisque eorum, maximè verò Civitatibus & oppidis ultra Fordanum sitis, exigeretur; graviter eâ de re Status universi, qui ad Conventum Mariabur-

riæburgensem convenerant, conquesti apud nos fuerunt, supplicaruntq; nobis, ut cum nulli vel Provinciæ vel Palatinatui vel Territorio, invitis ejusdem incolis, onus aliquod imponi possit, non pateremur etiam Terras Prussiæ ejusq; incolas tributo, in quod nunquam consenserunt, gravari. Quæ illorum postulatio cum æquissima nobis esset visa, summamq; & caput quodammodò libertatis communis attingere videretur, pro nostro perpetuo in conservandis libertatibus subjectorũ nobis populorum studio declaramus, Terras Prussiæ, quæ in modum & rationem contribuendi, in Comitijs laudatam, nunquam consenserunt, verum peculiarem contribuendi rationem, more & instituto recepto, voluntate nostra sanciverunt, non posse neque debere exactioni ad Fordanum institutæ subesse aut earum incolas, tàm Ordinis Equestris, quàm civitates majores & minores, ad eam pendendam teneri, adigi & compelli. Quare omnibus quorum interest, maximè tamen Exactoribus Telonei sive Contributionis commemoratæ mandamus, ne quemadmodum alios omnes cujuscunq; status & conditionis Terrarum earundem incolas, ita Civitates majores & minores, tàm supra quàm infra Fordanum sitas, ad Exactionem eam à frumentis & alijs quibuscunq; rebus & mercibus, quæ in eorum foris emuntur & venduntur, sive secundo sive adverso flumine vehantur, adigant molestiamvé illis aliquam seu injuriam exhibeant: alioquin, cum nunquam illi in exactionem eam consenserint, contra omnes juris rationes id fieret, omninoq; pœnis de injustè extortis teloneis, quicunq; facere id ausi fuerint, subjacerent &c.

Lit. Dd.

Atteſtatio Illmi. Dn. Theſaurarij Anno 1601. de immunitate Civitatum Pruſſiæ ab exactione aquaticâ, ex Pruſsiâ ad Fordanum translatâ.

Jan Firley z Dąbrowice Podskarbi Koronny Lubelsky &c. Staroſta.

VV*Szem wobecz y kożdemu z ossobna komu to wiedziec nalezy. Oznaimuię Isz iako teras zwielkich á ważnych przyczyn, na przeſzłem Seymie Pobor Koronny ieſt uchwalony: Na co Poſłowie Ziemie Pruſkiei nie pozwolili, ale do Ziemie z ſobą wzięły. Tak Krol Je° M c͂. declarowác raczył, Isz Miaſta Pruſkie y Obywatele ich, nie maią bydź wyćiagani na placenie Poboru Wodnego na Seymie uchwalonego u Fordana: dla czego teſz ossobliwie od Białey Gory, gdzie przed tem ten Pobor wybierany bywał, wyſzey do Fordana pomkniony ieſt: Tak y ia przychylaiac śię do tey declaratiey Krola J.° M c͂ i. y do zwyczaiu iuſz to po kilka Poborow zachowałego, oſtrzegłem tego ſtanowiać z Panem Woyciechem Mircinſkiem teraznieiſzem tego Poboru adminiſtratorem, isz od Miaſt Ziem Pruſkich y obywatelow ich Pobora zadnego wyciagać nie ma. Wczym będac od tychze Miaſt requirowany za wolą Krola J.° M c͂ i. dałem ym to ſzwiadecztwo moię, ręka ſwą podpisane*

sane z przyłożeniem pieczęci moiei skarbowey. Dan w Warszawie Dnia XVIII. Miesiaca Marca Roku Panskiego M. D. C. pierwszego.

Jan Firley z Dabr.
Podsk. Kor.

Lit. Ee.

Protestatio Civitatis Gedanensis contra Spiringios, novi telonii exactores, die 14. Octob. Anno 1637. Actis publicis insinuata.

AD Judicium Actaq; præsentia Civilia Starogardiensia personaliter accedens Providus Anthonius Sadlowskj, Ministerialis Regni Generalis, de cujus authenticâ facultate Judicio præsenti benè constat, Manifestationem & Protestationem sequentem, nomine & mandatu Ordinum Civitatis Gedanensis, scripto conceptam obtulit, Actisq; publicis, inseri petiit, cujus tenor de verbo ad verbum talis est:

Cum præter omnem spem atq; expectationem, collocatis ad portum Civitatis hujus navibus aliquot, Arnoldus ejusq; fratres Spiringij, non contenti multis magnisq; injuriis & violentiis, quibus antehac Cives & incolas Gedanenses immeritò affecerunt, nunc denuò communem commerciorum libertatem impedire, pacta Regnorum Poloniæ & Sueciæ, insciis ac invitis Terrarum Prussiæ Statibus & Ordinibus, violare, novaq; exactione maritimâ, sub novi Thesaurarij nulliter usurpato titulo, pacatum harum Terrarum statum novis turbis & difficultatibus implicare, ac inprimis clementissimum Sac. Reg. Majest. animum adversus innoxiam hanc fidelemq; Civitatem, nihil durius meritam, concitare, Eamque in discrimen jurium & immunitatum suarum

conficere ausi sint: Quas quidem Spiringiorum machinationes contra Terrarum & Civitatum Prussiæ jura ac privilegia, antiquissimis pactis, Regiisq; juramentis & sacrosanctis cautionibus firmata, quibus nullo juris prætextu, nullâ necessitatis specie derogari potest, susceptas esse evidenter patet: Idcirco Præconsules & Consules, Scabini, Centumviri, totaq; Communitas Civitatis Gedanensis, salvâ fide & subjectione Sac. Reg. Majestati, Domino Nostro Clementissimo debitâ, salvo etiam perpetuo Incorporationis jure, quo inclyto Poloniæ Regno Civitas Gedanensis conjuncta est, inhærentes juribus & libertatibus publicis, de nullitate affectatæ istius Exactionis & Vectigalis maritimi, solennissimè atque in optimâ & validissimâ juris formâ, contra prædictos Spiringios protestantur, nec quicquam exinde præjudicij vel incommodi Civitati huic, Ejusq; Ordinibus universis, civibus ac incolis, inferri posse vel debere; quin imò, si quid adversi atq; insperati ex violentis Spiringiorum novationibus evenerit, Civitatem Gedanensem, utpote cujus, perinde ac aliorum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, omniumq; Terrarum Prussiæ Statuum & Ordinum, in Conventu Generali Mariæburgensi nuper congregatorum, manifestus dissensus publicè notus est, ab omni culpâ vacuam, liberam & immunem fore declarant: expressim manifestantes, Quoniam voluntaria ac spontaneâ deditione regimini Serenissimorum Poloniæ Regum non aliter, quàm salvis juribus suis, Terræ Prussiæ subjectæ, omnesq; causæ notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Consiliariorum, spiritualium & sæcularium, Nobilium & Civitatum Majorum, consilio terminandæ, tractandæ, & definiendæ sunt: Ideò se etiamnum ab usu & possessione pristinæ libertatis nullo modo recedere posse, sed quævis legitima conservandi Juris & inveteratæ consuetudinis media sibi salva & integra,

gra,

gra, tùm etiam Protestationis hujus immutandæ, augendæ vel minuendæ, ac præcipuè juris sui, pro usu & exigentiâ temporis, cum pleniore omnium circumstantiarum rerumq́ enarratione, deducendi facultatem omni meliori modo reservare, præsenti manifestatione ac protestatione mediante.

Lit. Ff.

Ex literis Vniversalibus D. Sigismundi Augusti Ao. 1566. die 20. Aprilis Lublini datis.

Vnd wan wir dann befunden/ daß in selbtiger nohtwendigen defension allerley Fürsichtigkeit zu gebrauchen/ wie mehr gedachte unsere Feinde und derselben anhang nicht allein durch gewalt zu erlegen/ sondern wie sie auch zu hinderen/ damit jhnen keine zu oder abfuhr irkeines weges geschehe/ haben von deswegen wir etzliche unsere Schifsheuptleute mit unseren Königlichen bestallungen in die Sehe verordenet 2c. 2c.

Lit. Gg.

Ex Privilegio D. Stephani, quo pacta Portorij continentur, Anno 1585.

Volumus etiam, sancimus & promittimus, Nos & Successores nostros, Civitatem in Jure maritimo, quæq́ illi affinia sunt, quæ Civitati competunt, perpetuò conservaturos, eamq́ in rem nominatim Privilegium. D. CAZIMIRI *Regis & Antecessoris nostri, datum in eadem Civitate nostra Gedanensi Dominica Cantate Anno Domini M.CCCC. LVII. quod de facultate navigationes ac littora regendi, administrandi, navigationem aperiendi & claudendi, cum nostro tamen consensu & voluntate exprimit ac disponit, autoritate nostra Regiâ pro Nobis & Successoribus nostris confirmamus, renovamus, corroboramus, ac jubemus & sancimus, ut secundū istius Privilegij tenorem Civitas in ejus Juris plenâ*

ac pacifica poſſeſſione & uſu, uti hactenus fuit, deinceps etiam absq; aliquo præjudicio vel impedimento perpetuis temporibus relinquatur ac conſervetur.

Lit. Hh.

Ex Privilegio D. Caſimiri Regis Anno 1457. Dominicâ Cantate Gedani dato.

WOrbas ſo vorleien wir vnnd geben den itczgedachten Borgermeiſter Ratmannen Scheppen vnd gantzen gemeynenn wß ſundirlichin Koniglichir gnadenn vnnd gunſt / volkomene gewalth vnd macht alle vnd iczliche ſchifferte mitt allen ſtranden des meeres vnſir lande zcu Prewßen zcu regiren / zcu beſtellen / vnd zcu gubernerenn ; vnde alle zegelatio zcu gebietenn vnnd zcu vorbittenn / mitt vnſirm Rote wißenn vnnd willenn / adir vnſeres anwalden in vnſerem abeweßenn ; dach alſo das ſie keyne czolle vnde beſwerunge offſetzen ſollen an vnſirm wißen vnnd willen / dach ſulchem Privilegio den genanten vnſiren getrewen Burgermeiſter Radmannen Scheppen Borgern vnnd der gantzen gemeynen vnſir Stat Dantzke in vnſir Stad Pyotrkaw gegeben vnſedelich / vnd hiermete mit nichte gebrachen ; vnnd alle waßerrechte / ſchieffbrochige gutter vnnd Kouffenſatze / welcherley die ſeyn / zcu richten / zcu entſchedenn / vnd zcu endenn ; enthalden vnſir Koniglichen gerechtigkeit vff ſulche ſchieffbrochige guttir vnd kouffenſatz / noch luwte vnd innehalde des houptpriuilegij vnnſirn landen Prewßen zcu Crokaw gegeben ; vnd alle ſtrande vnd hauenunge des Meres vnſir hirſchafften der lande zcu Prewßen an̄e eynis jdermannes infelle vnnd vorhinderunge vor alle Zeerowberen rowbern̄ diebn vnd mißeteteren zcu waßer vnnd zcu ſtrande zcubehalden vnnd zcu vorweßen vnnd die zcu richten ;



